

sunt consumenda in alimenta Rectorum, & pauperum, ut in d. Clem. Idem firmat Lap. de Castellione in suo tract. de Hospital. n. 48. inter tractatus communes tom. 15, pag. 336. Quia licet, inquit, Episcopus debet visitare ecclesiam non obstante paupertate, & nihil exigit isto casu, ut notatur in cap. Romana. §. 1. de Censib. lib. 6. ita & Hospitala, & nihil exigit, cum pauper intelligatur, sed curabit ut pauperibus erogetur. Sequitur Sylvest. in ver. Hospitala. num. 16. vers. Sed verius. Millinus eandem sententiam sequens dixit rem claram, cum universi hospitalium reditus ex d. Clem. quia contingit, sunt expendendi in usum pauperum, attulit etiam auctoritatem Cardin. in cap. Cum Romanae, de Simon. & aliquot recentiores, qui testantur hanc opinionem esse communem, & ita fuisse resolutum. Addidit etiam pro hac parte multam aequitatem, ut magis consulatur pauperibus, ac miserabilibus infirmis, quorum Episcopi praecepto divino tenentur paternam curam gerere, ut habetur in cap. 1. in princ. sess. 23. Concil. Tridentini. Mutus dixit, si agatur de hospitalibus in Civitate existentibus, rem esse extra omnem dubitationem, quia Episcopo visitanti ecclesias, & pia loca Civitatis post decretum Concilij, cap. 3. sess. 24. procuratio non debetur, licet aliud esset de jure communi, c. Venerabilis, de censib. Sed si agatur de hospitalibus extra Civitatem quamvis negativa opinio communis sit, sibi tamen rem dubiam videri, quia omnes fundantur in d. Clem. Quia contingit, de relig. domib. quae tamen non decrevit explicitè procuracionem non deberi, sed duo tantum statuit, id est hospitalia infirmorum debere visitari, & eorum reditus esse in usum pauperum expendendos. Hanc autem secundam partem non excludere procuracionem, quia stant simul ut reditus sint infundendi in usum pauperum, & tamen ex his procuratio debeatur, quemadmodum videmus hanc rationem quod sint expendendi in usum pauperum, non obstante quominus inde aliqua portio detrahat pro ministris juxta dispositionem d. Clem. sed tamen dixit se sentire eum communi. S. Sufanna dixit Feder. de Sen. conf. 3. alias 111. n. 5. consuluisse deberi procuracionem Episcopo hospitalia infirmorum visitanti, & rationes esse contra comunem; quia non sequitur, Bona hospitalium sunt destinata in usum pauperum, ergo ex his non debetur procuratio; & alioquin sequeretur, ut procuratio ferè nullo casu solvenda esset, cum bona omnia ecclesiastica sint in aliquem usum destinata, & in specie reditus beneficiorum partim pro fabrica, & partim pro pauperibus. Unde quamvis bona ex largitione fidelium in hunc usum sint destinata, hoc tamen esse intelligendum cum oneribus annexis. De Zolleris inclinavit, & ipse contra communem addidit Episcopos vix visitaturos absque procuracione, eamque moderate solvendam esse habita ratione paupertatis locorum, ut in c. Cum Apostolus, in fin. de cens. & est expressum in cap. Conquerente, ibi, Non amplius procuracionis nomine requiras ab eis nisi quantum pensatis facultatibus moderate poterunt exhibere de offic. Ordin. Neque id sibi inconueniens videri. Roma adhuc sit opinioni negativæ quam dixit communem esse, neque obstante rationem Cardinalis S. Sufannæ, quod etiam reditus beneficiorum sint in usum pauperum expendendi; quia non omnes, ut patet in c. Vobis, & c.

Concesso, cum quatuor seqq. 12. q. 2. At in hospitalibus de bonis omnibus extat particularis destinatio. Præterea dos in hospitalibus non videtur ab initio fuisse assignata pro talibus oneribus, sicut assignatur ecclesiis, ut formaliter inquit Card. in d. Clem. Quia contingit, num. 18. & Imol. num. 23. circa fin. Dixit etiam non obstante textum in d. cap. Conquerente, de offic. Ordin. quoniam loquitur de ecclesiis, quæ non sunt penitus impotentes, sed aliquid conferre possunt pensatis facultatibus, licet ad totam procuracionem Episcopo faciendam non sufficiant, ut observat Archid. in c. Romana, cal. 3. vers. Prædicta verò decret. adu. de Censib. lib. 6. Sed hospitalia nihil de suo possunt conferri cum omnia sint pauperum. Sancti Severini sentit contra communem eo quod Doctores, qui dicunt Episcopum hospitalia visitantem non esse procurandum, moventur potissimum tribus rationibus. Prima est, quia hoc non requiritur jure cautum, hanc rationem dixit sibi non placere, quia procuratio annexa est visitationi, cap. Cum venerabilis, de Censib. & c. Cum ex officio, de prescript. & standum est regulæ quamdiu non probetur exceptio. Secunda ratio, quia omnia sunt eroganda in usum destinatum, quæ similiter sibi visa est non concludens; quia fructus omnes piorum locorum sunt expendendi in usus destinatos; & tamen ex his detrahitur procuratio. Tertia ratio est quia paupertas excusat à solutione procuracionis. Quod tamen ait procedere si paupertas sit magna. Quod non accidit in omnibus hospitalibus, sed in aliquibus tantum. Quam sententiam, & Boncampagnus sequutus est. De Torres probavit contrariam, & communem opinionem, responditque ad rationem Cardinalis Muti idcirco solvenda esse salaria ministrorum, non obstante destinatione in usum pauperum, quia ministri alios non tenentur pauperibus infervere, ac ministrare. Ideoque solutio est absolute necessaria, & quod pro ipsis erogatur in usum pauperum erogari intelligitur. At secus est in procuracione, quia Episcopus tenetur visitare stante paupertate etiam absque procuracione. d. cap. Placuit, l. 6. 2. & propterea quod in causam hanc solvitur, non potest dici erogatum in usum pauperum, sicut ministrorum stipendia. Nec dicit habendam esse rationem an reditus hospitalis sint pingues, an tenues, cum omnes sint destinati in usum pauperum, & quidquid detrahitur, pauperibus ipsis detrahi intelligatur. A Monte idem censuit. Itaque Patres majori parte existimant procuracionem non deberi. Omnes tamen dixerunt articulum esse iterum proponendum, ac videndum de veritate communis opinionis. De celebri glossa Innocentij in materia excommunicationis ab Episcopo fulminatæ in Abbatem tenuentem admittere, & procurare ipsum visitantem, cpi post Hostien. in c. Procuracionis, supra eod. ibi plenè videas.

DE CENSIBVS.

Cap. Auctoritate.

S V M M A R I V M.

- 1 Procuratio non debetur propter privatam Oratorium.
- 2 Oratoria privata non sunt sub potestate Episcopi quoad visitationem, & procuracionem, & nam. 29.
- 3 Oratorium, vel hospitala non probatur esse publicum ex eo tantum, quod in eisdem ibi celebratur.
- 4 Nisi actus celebrationis sit publicus.
- 5 Oratoria, & ecclesia in quo differant, & nam. 27.
- 6 Oratoria privata non gaudent immunitate ecclesie, nec possunt ibi publice teneri, aut pulsari Campana, nec Missa celebrari, & quod habet esse Oratorium, eras potest esse Camera, & nam. 27.
- 7 Decree potest ibi celebrari de licentia Episcopi, qui tamen non debet eam concedere in actu festivitatis.
- 8 Et quid post Concilium Tridentinum, num. 9. 17. & seqq.
- 9 Oratorium an possit destrui auctoritate Episcopi, si hostis non teneatur.
- 10 Commissarius Cruciate an possit concedere licentiam celebrandi in Oratorio domesticis, an verò hac facultas sit Papa reservata, & nam. seqq. usque in finem.
- 11 Oratorium publicum quid differat à domestico.
- 12 Oratorium publicum tantum de iure Canonico, quàm civis censeri non potest sine auctoritate Episcopi.
- 13 Oratorium domesticum unicuique fidelium licet habere in domo sua, & ibi orare, sed Missa celebrare non licet, & nam. 16.
- 14 Tridentini Concilij Decretum circa Oratoria expenditur.
- 15 Missam celebrandi licentia in oratoris privato non potest concedi ab Episcopo, sed petenda est à Sede Apostolica.
- 16 Namque Principi, Arce, & Palatia, in quibus Barones jurisdictionem exercent comprehenduntur in prohibitione Trident. Concilij de Missa in privati domibus non celebranda.
- 17 Missa in domo privata ad hoc, ut infirmus pro viatico communicetur, celebrari non potest de licentia Episcopi.
- 18 Inultum audiendi Missam in domo propria sublatum est à Conc. Trident.
- 19 Licentia celebrandi in Oratorio privato quibus conditionibus cancelli consecraverunt à Sac. Congregatione Concilij.
- 20 Episcopus potest concedere licentiam celebrandi in Oratorio publico.
- 21 Oratorium, at publicum censetur debet habere usum immediate respondens in viam publicam sine ullo auditu, vel prospectu e loco privato.
- 22 Oratoria, quæ in monasteriis, & hospitalibus ecclesiasticis constructa sunt, censentur publica.
- 23 Oratoria pro infirmis in Monasterio qualiter concedantur à Sede Apostolica.
- 24 Oratoria privata appellatione ex Bulla Cruciate non venit domesticum, sed publicum, quod privatum

appellatur ad indifferentiam ecclesie consecrata. 28 Subiecta talia sunt qualia predicata demonstrant. 29 Oratoria publica possunt visitari ab Episcopo, non autem privata. 30 Nulla Cruciate interpretari debet, ut minus deroget iuri canonico, & Concilio Tridentino, quare fieri potest. AUCTORITATE. Propter privatam Oratorium procuratio non debetur. Hoc dicit. Secundum Jo. Andr. & omnes. Non dividitur. Nota primò ibi, Procuraciones, quæ ratione visitationis debentur. Privata Oratoria non esse sub potestate Episcopi quoad jus exigendi procuracionem, & consequenter nec quoad jus visitandi, quia procuratio de jure est annexa visitationi, cap. Cum venerabilis, §. 1. supra eodem, cap. Cum ex Officio, de prescriptum, glof. 1. in reg. Obita, de regul. iur. lib. 6. Nec potest esse annexum sine suo principali, cap. Et quod diximus, 16. quæst. 7. glof. 1. de regul. Accesorium, in regul. iur. lib. 6. Anchar. conf. 394. Dubium est, num. 3. Propterea quod nihil est procuracionis nomine exigendum, quia nihil est ibi visitandum, ut dicunt Vincentius, & Goffredus, & post eos Hostien. hic num. 1. & notat Abbas in 1. notab. Secundo nota ibi, Interdum aliqui vestrum celebrant. In privatis Oratoriis quandoque Missas celebrari, & sic actus celebrationis non insert per necessarium, ut locus sit publicus, quod nota secundum Anton. de Butt. hic in 3. notab. & Abb. num. 1. quia facit pro hospitalibus, in quibus interdum celebratur. Nam ex hoc solo non concluditur hospitala esse religiosa, quia non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. A. Neque Natales, C. de probat. onibus, & cap. de Translat. Episcopi. Sed hoc intelligitur secundum eos, nisi actus celebrandi sit publicus, ita ut omnes indifferenter admittantur, ut notat Archid. in cap. Nemo, num. 3. de consecrat. dist. 1. QUERO, quæ sit differentia inter Oratorium & ecclesiam? Solutio, die secundum Innoc. hic post medium vers. Ecclesia. Hostien. num. 4. Joan. Andr. eod. num. Anchar. num. 2. & Abb. num. 3. ecclesia dicitur ubi statuta est certa dos pro Sacerdote, & Clericis ibi deservientibus, & pro aliis ecclesie necessitatibus, dist. cap. Nemo de consecrat. dist. cap. Sicut infra de consecrat. Eccles. vel Altar. Oratorium verò dicitur quod non est dotatum, nec est adificatum ad Missam celebrandam, sed tantummodo ad orandum, cap. Vni usque de consecrat. dist. & in Auth. Ut nullus labor. orat. cum. §. 1. Quare etiam hodie sit Oratorium, eras poterit fieri camera, cum non sit locus Deo dicatus, secundum Hostien. hic, & Jo. Andr. num. 2. Unde in huiusmodi Oratorijs non possunt publice teneri, aut pulsari Campana, cap. Biterrenum infra de privilegiis, nec gaudent immunitate ecclesie, ut contra Goffredum notat Hostien. hic num. 2. vers. Et quoniam Goffredus Jo. Andr. eod. num. Abb. n. 4. & scriptis plenius in esp. ecclesie, num. infra de immunit. eccles. & infra subiectionem num. 14. & 15. Nec ibi licitum est Missas celebrare, ut in iuribus proximè citatis. Dixit tamen Innocentius, & post eum Hostien. hic num. 4. & Jo. Andr. eod. num. posse in eis quandoque celebrari de licentia Episcopi, qui tamen non debet eam concedere in magnis festivitibus. c. Cle-

cap. *Christi*, & cap. *Si quis extra parochias*, de consecrat. dist. 1. Quinimo factum idem Innocentius hic post medium, quod si in quorum sunt oratoria, non teneant ea honeste, nec faciant ibi celebrari, poterit Episcopus ea destrueri, cap. *Omnes*, si primo, & cap. *leg. de consecrat. dist. 1.* Sed hoc verum putant Hostien. num. 2. *prae finem*, vers. *hoc intelligas*, & Jo. Andr. num. 3. vers. *Quod verum putat*: dummodo fuerint dedicata, & auctoritate Pontificis edificata ad celebrandum, aliis contra, ut dictum est supra. Verum quoad celebrationem Missae post Concilium Tridentinum, haec non procedunt ut dixi in cap. *In his de privilegiis*, & infra sub jectum num. 17. & seq.

10. Uterius QUARO utrum in vim Bullae Cruciatæ Commissarius impertiri possit licentiam celebrandi Missam in Oratoriis domesticis ab Ordinario visitandis, & approbandis, an verò hæc facultas sit Sedi Apostolicæ reservata?

11. Pro solutione primò supponenda est distinctio inter publica, & domestica oratoria; publica enim non possunt constitui sine auctoritate Episcopi, Concilium Calcedonense. 4. relatum in c. *Quidam*, id. q. 2. Placuit igitur neminem aut edificare, aut construere monasteria, aut oratoria domum sine conscientia ipsius civitatis Episcopi. Quod est etiam de jure civili, ut in Auth. *Ut nullus fabricet oratoria*, domus preter voluntatem Episcopi, & ut deputet prius, quæ circa decentiam, & statum in fabricando oratoria suscipiant. Et in nigro: Sancimus nulli licentiam esse neque ecclesiam, neque orationis domum incipere edificare, antequam Deo amabilis Episcopus Crucem figat. At in domesticis auctoritas Episcopi nõ requiritur, Concilium Aurelianense, relatum in c. *Unicuique*, de consecrat. dist. 1. Unicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere, & ibi orare.

Hanc primam differentiam ponit Cardinalis Zabarella conf. 11. Pro emendatione, & Lapsus allegat. 41. *Queritur de tribus*, num. 2. Butr. conf. 19. *Quia sic agitur*, num. 19. Quintil. Mandosus in reg. de Annal. quæst. 17. num. 9. vers. *Oratoria aliqui in duo genera dividunt*. Hinc resultat secunda differentia: nam publicum est ecclesiasticum, domesticum verò profanum: ideoque illud potest visitari ab Episcopo, Innocentius, & Doctores hii: domesticum non potest, ut hic est casus, secundum ea, quæ dixi supra in 1. notab. In illo licet habere campanas, cap. *Nimis iniqua*, de excess. Prælator. locus in hoc cap. *Parentibus*, de privilegiis, ubi de Templariis, & Hospitalariis, Butr. d. conf. 149. num. 19. Illa gaudet immunitate, hæc non, Paulus de Castro conf. 167. *Præsupposita*, num. 4. lib. 2. Romanus late conf. 477. *In casu proposito*, n. 2. & seq. & dictum est supra num. 6.

15. Demum in illis etiam de jure communi poterit celebrari exceptis majoribus solemnitatibus, Concilium Agraphense, c. *Si quis*, de consecrat. dist. 1. Si quis in agro oratorium habere voluerit, ut ibi Missas audiat, permitimus; Pascha verò Natali Domini, non nisi in civitatibus, sive parochiis audiant, & patet ex dictis supra num. 7.

16. Contra in domesticis dicto Concilio Aurelianensi, unicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere, & ibi orare: Missas autem ibi celebrare non licet. De quo habetur alius titulus in Auth. *Ut in privata domibus sacra mysteria non fiant*, & in nigro: Interdicitur omnibus in domibus

fuis, habere quasdam quasi orationum domos, & in his sacra celebrare mysteria, sed solius orationis gratia hoc eis permittitur.

17. Hanc differentiam clarè constituit Tridentinum Concilium cunctis, sess. 22. de observat. c. 93. ibi: *Neve patiantur privati in domibus & omnia extra ecclesias, & ad Divinum tantum cultum dedicata oratoria ab Episcopis visitanda, & approbanda sacrificium Missæ peragi: ibi enim Concilium docet, primo vetat missam celebrari privatis in domibus; deinde similiter vetat, ne id fiat in locis, quæ sunt omnino extra ecclesiam, & extra oratoria ad divinum tantum cultum dedicata ab Ordinario designanda, & visitanda. Ex quibus colligitur Concilium agnovisse hanc differentiam inter oratoria domestica, & publica, & domestica esse illa, quæ aut sunt in privatis domibus, aut extra ecclesiam, sive extra oratoria dedicata ad cultum divinum, & in his absolute prohibuisse Missæ sacrificium fieri etiam Episcopo permittente, & in hoc sublata esse antiquam Canonistarum alterationem: Publice verò esse illa, quæ extra privatas domos ad divinum tantum cultum sunt dedicata, & designata ab Ordinario, id est Ordinario auctoritate constructa, de quibus per Cardinalem, d. conf. 11. num. 4. in fin. vers. *Et præ prædictis*. Et in his permisisse Missas celebrari, prævia tamen visitatione, seu approbatione Ordinarii.*

18. Porro quoad oratoria domestica S. Congregatio aliàs consulta, Utrum Episcopus attentio Concilij Tridentini decreto in oratoris existentibus in domibus privatorum celebrandi Missas licentiam ex causa concedere possit; censuit non posse, sed hanc licentiam petendam esse à Sede Apostolica, prout post Concilium Tridentinum hætenus observatum est. Et propterea iussu Pauli V. me Secretario dedit litteras circulares ad universos Episcopos, quibus declaravit hanc facultatem illis non competere, etique injunxit, ut si quas licentias à seipsis, vel à suis Antecessoribus concessas repetissent, nullas, & irritas decernerent. Item cum dubitatum esset, an in domo Principis posset Missa celebrari, quasi non veniat appellati- one domus privata, sic etiam de Archiebus, & Palatiis Baronum, ubi exercent jurisdictionem, Sac. Congregatio respondit comprehendendi decreto Concilij hujusmodi loca. Et cum Cardinalis Legatus Portugallie petisset, ut posset concedere licentiam celebrandi Missam in domo privata decenter accommodata, cum infirmus aliquis pro viatico debet communicari, & hoc quia in illis regionibus sunt multa loca adeo dispersa, & remota à parochiis, ut non sine maximo incommodo possit

21. Eucharistiæ Sacramentum circumferri: S. Congregatio respondit non esse concedendum. Quin etiam cum Agneis, & Theresa de Calman dubitasset, an indultum audiendi Missas in propria domo sibi per Paul. III. concessum, per Concilium fuisset sublatum; S. Congregatio censuit esse sublatum: concessis eis tamen, ut Missas in illa domo audirent in oratorio tantum ab Ordinario approbando. Atque ita ejusmodi licentiæ celebrandi in oratoris domesticis consueverunt olim obtineri ab eadem Congregatione Concilium, in qua etiam stabilite fuerunt conditiones, & Sanctissimum approbare, quibus illæ deinceps essent concedendæ, nempe,

Primò, ut oratorium constitutum in loco de-

centi, & clauso, visiteturque & approbetur ab Ordinario.

Secundò, ut facultas hæc non concedatur nisi viris, aut feminis primarijs morbo, aut alia causa impeditis, ne ad ecclesiam accedant.

Tertiò, in die Paschatis teneatur is, cui conceditur adie parochialem ecclesiam.

Quartò, ut id concedatur sine præjudicio juris parochialium.

Quintò, ut qui ibidem Missas audierint, non liberentur ab obligatione accedendi diebus de præcepto ad ecclesiã pro Missis audiendis præter eos famulos, & famulas tantum, qui servizio domini, cui facultas conceditur, fuerint necessarij.

Quibus de mandato Pauli V. aliz etiam condiciones fuerunt adjectæ in Congregatione oratoriorum.

23. At verò de oratorijs publicis S. Congregatio sæpius declaravit esse in facultate Episcopi, ubi illa visitaverit, ac divino cultui peragendo apta, ac decentia esse comperit, licentiam impertiri, ut in eis sacrò sanctum Missæ sacrificium celebrari valeat. Et oratoria publica censuit esse cum habent ostium, quod immediate responder in viam publicam, & nullum habent aditum, vel prospectum à loco privato, etiam si in privato solo constructa sint, aut parietes habeant cum ædibus privatorum communes. Item publica censuit esse illa, quæ in locis publicis constructa reperiantur, veluti in monasterijs, & hospitalibus ecclesiasticis, licet quoad monasteria Monialium Congregatio ipsa hanc licentiam aliquando impertita fuerit pro oratorio in eorum infirmary constructo cum clausulis, (Dummodo oratorium visitetur, & approbetur ab Ordinario, & ita constructur, ut separatum à loco infirmary, & clausum maneat, nec aperiat, nisi quando Missa ibi erit celebranda, & arbitrio Ordinarij sic aptetur, ut Moniales infirmæ possint videre, & audire Missam eo dumtaxat die, quo sacram Eucharistiã sumere voluerint.) His positis, qui quid contra senserit Ludovicus Lopez in suo Infriditorio, cap. 6. de Bull. videtur respondendum Cruciatam dum dat facultatem celebrandi in oratorijs etiam tempore interdicti, nequaquam esse intelligendam de oratorijs domesticis.

Primò, quia etsi loquatur de oratorijs privatis, hæc tamen qualificat per verba illa: Ad divinum tantum cultum dedicatis: quæ quidem qualitas minimè congruit oratorijs domesticis, quæ sunt omnino profana, & hodie sunt oratoria, eras camera, Glossa in Clem. *Qui a contingit*, in ver. *Altare*, de relig. domib. Cardin. d. conf. 11. n. 12. Paul. de Castro conf. 167. *Præsupposita*, in fin. lib. 2. Romanus conf. 477. *In casu proposito*, num. 5. & dictum est supra n. 6. Sed congruit tantum oratorijs publicis, quæ sacris ministerijs dedicantur auctoritate Episcopi: nam locus quilibet consecratus divino obsequio est Sanctum Sanctorum Domino, cap. *Nulli*, 12. quæst. 2. cap. *Mancipia*, de rer. perm. quæ jura ad propositum nostrum adducit Gard. d. conf. 11. in princ. num. 1. vers. *Primo quidem*. Qualia sunt oratoria Hospitalium, & Confraternitatum, c. *Ad hoc*, de religiosis domibus, cap. *Quidam*, id. q. 2. cap. *Nemo*, de consecrat. dist. 1. Lapsus d. allegat. 41. Calder. conf. 372. An Episcopus, aliàs 23. de vestim. Neque verò huic interpretationi repugnant verba illa Bullæ. In privatis oratorijs: nam quamvis oratoria dicata ad

divinum cultum verè dicantur publica, si considerentur ad differentiam illorum, quæ quilibet privatus sine Episcopi auctoritate sibi constituit intra domesticos parietes; tamen appellari possunt privata, si considerentur ad differentiam ecclesiasticam, à quibus differunt, quia ecclesie dotantur, non oratoria, ut per Cardin. eod. conf. 11. num. 10. Ant. de Butr. d. conf. 19. num. 19. Rota decis. 508. par. 1. divers. Covar. in cap. *Alma Mater*, m. 2. part. relect. §. 4. num. 2. Et fuse declarat Quintilianus Mandosus in reg. de Annal. quæst. 17. num. 7. & seq. & constat ex dictis supra in 1. quæst. num. 5. Unice cum privatum oratorium secundum latitudinem vocabuli dicatur omne, quod non est ecclesie, sive illud sit in se publicum, sive domesticum, secundum Mandosus d. num. 7. Bulla addendo illa verba, Ad divinum tantum cultum dedicatis, satis declaravit se non intellexisse de privatis, prout contra distinguuntur à publicis, sed de privatis, prout contradistinguuntur ab ecclesia. Nam talia sunt subiecta, qualia prædicata demonstrant, l. *Quis vnum*, ff. de vin. trit. & oleo legat. Oldrad. conf. 80. incipiens. *Talia sunt subiecta*, Anchar. conf. 65. *Pro oratorijs*, num. 5.

29. Et confirmatur ponderando subsequentia verba Bullæ: Ab Ordinario visitandis, & approbandis, quæ similiter non applicantur nisi publicis: nam publica tantum possunt visitari, secus domestica, ut in hoc cap. & dixi supra in 1. notab.

Obiervandum est etiam Bullam hæc in parte loqui per eadem verba, quibus loquitur Concilium in d. §. *Neque patiantur*. Sed decretum Concilij in illis verbis, Ad divinum tantum cultum, &c. non habet locum nisi in oratorijs publicis, ut ostensum est supra. Ergo nec Bulla quæ verba sua à Concilio mutuavit, l. 2. c. de Noxal. l. *terti genium*, §. *Si pacificat*, ff. de pactis, juncta l. *Transigere*, ubi gloss. magna, c. de transact. Barr. & Doctores in l. *Sciendum*, ff. *Qui satisfare cogantur*. Alioquin verba Bullæ: Ad divinum cultum dedicatis, essent inania, & nihil operarentur. Atque ita in terminis Bullæ Cruciatæ declarat Henricus in indulgent. di. 7. num. 4. litt. K.

30. Præterea Bulla debet interpretari ut minus deroget juri communi, & Concilio, quam fieri possit, cap. *Pastor alius*, de privilegiis, cap. 1. §. *Nunquid*, eod. tit. lib. 6. ubi Gemin. in 1. notab. Si intelligatur, ut det licentiam celebrandi in oratorio domestico, & in tempore interdicti, corrigitur in dubio, Est enim contra Concilium quoad oratoria, & contra jus commune tam quoad interdictum, cap. *Alma Mater*, de sent. excomm. lib. 6. quam quoad oratoria, ut in juribus, num. 13. allegatis. Ergo satis est, ut in uno corrigat jus commune, cap. *In his de privilegiis*. Unde hanc theoriam, DD. communiter delumunt, & pluribus comprobatur Suarez lib. 8. de leg. c. 14.

Et confirmatur, quia etsi propter preservationem Pontificis auctoritatis, de qua in cap. *alt.*, sess. 25. non requiratur ut Tridentino Concilio specialiter derogetur, ut requiritur in alijs Concilijs generalibus, juxta text. in c. *Ex parte*, de Capell. *Manchar*. Necessè est tamen, ut Papa expressè statuat contrarium jus, quod Concilium disponit, ut sæpius declaravit S. Congregatio ejusdem Concilij interpres, ut patet ex motu proprio Pij V. ut dixi in cap. *Nulla*, m. 26. supra de concess. præben. In Bulla tantum abest, ut expressè statuat contrarium

ejas, quod statuit Concilium, ut potius disponat illud idem, quod Concilium disponit, cum istidem verbis utatur, et dictum est supra.

Non obstat particula implicita, etiam, quia implicat supponere, ut in indultis vescendi carnis etiam temporibus juniorum, & quadagesima, & celebrandi ante lucem. Dum ergo concedit licentiam celebrandi etiam tempore interdicti, supponit licentiam celebrandi in Oratorio aliis temporibus. Id autem dupliciter potest contingere, vel quia publicum, vel quia ad sit privilegium Sedis Apostolicae.

Dicendum ergo aut Bullam loqui de publicis, vel de domesticis cum suppositione privilegij; debet enim supponere terminos habiles. Atque hunc intellectum ad Bullam videtur sequi Henricus Joceus, & ita olim declaravit S. Congregatio Concilij censuit enim Commissarium Cruciatum non habere facultatem concedendi licentiam celebrandi in Oratorijs domesticis, sed tantum in Oratorijs publicis ad Divinum cultum dedicatis.

His accedit observantia subsequuta tam quoad Commissarios, quam quoad Papam. Quoad commissarios, quia nunquam usi hac facultate; nec est verisimile ut non fuisse si habuissent. Et Archiepiscopus Toletanus revocavit concessionem, quas fecerat in vim Bullae, & declaravit eas Pontifici reservatas.

Quoad Papam, quia concedit licentiam cum multis clausulis, & moderationibus, quarum superius meminimus, num. 22. & cum magna difficultate. Quod efficit ridiculum si unicuique liceret ex Bulla Oratorium habere. Et augeatur absurdum, quia sine licentia Commissarij id omnibus liceret etiam infimae conditionis medianibus duobus regalibus; nullibi enim in Butr. fit mentio de licentia Commissarij, nisi quoad indulgentiam celebrandi ante lucem.

Ultimo, causa impulsiva, quae movit Paulum V. ad revocandas licentias celebrandi in ejusmodi Oratorijs, fuit quoniam relati fuerunt graves abusus, qui in hac materia irrepserant, & praesertim quoad Mauri, & Christiani novi in eis abutebantur Sacramento, & committebant detestanda sacrilegia. Unde si adesset haec facultas, tamen expediret eam revocare, ad e. Suggestum, de decimis.

De Consecratione Ecclesiae, vel Altaris.

Cap. Aqua.

S V M M A R I U M.

- 1 Ecclesia polluta per Sacerdotem simplicem reconciliari non potest, etiam si aqua fuerit per Episcopum benedicta.
- 2 Delegari possunt ab Episcopo Clerici etiam minoribus, quae sunt jurisdictionis, non autem, quae sunt ordinis.
- 3 Consecratio potest plurimum in his quae sunt jurisdictionis, sed in his quae sunt ordinis nihil potest.
- 4 Jurisdictio sive ordinaria, sive delegata solo verbo committitur, & revocatur; potestas ordinis secus.
- 5 Papa potest committere quae sunt ordinis etiam non Episcopo.

6 Reconciliatio ecclesiae polluta si sit consecrata non facile committitur a Papa simplicibus Sacerdotibus.

7 Episcopatus est ordo.

8 Abbates Presbyteri, & benedicti de Episcopi consensu, vel cum specialibus eius dimissorys an possint tonsuram, & minores ordines conferre secularibus eidem Episcopo subiectis, & num. seq. usque ad num. 20.

9 Congregationis Concilij declaratio a quovindem impugnationibus vindicatur.

10 Potestas duplex requiritur ad ordines conferendos.

11 Abbas Presbyter, & benedictus quoad non subditos etiam potest etiam subditis alterius monasterij.

12 Concilij Tridentini decretum in cap. 10. sess. 23. expenditur.

13 Episcopi titulares possunt ordines conferre de licentia Episcopi Diocesani.

14 Episcopus potest alteri Episcopo ea quae sunt ordinis demandare.

15 Abbas invitatus potest tonsuram, & minores ordines conferre etiam subditis alterius monasterij.

16 Lex nova disponens in materia antiqua recipit interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat.

17 Rota decisio de Abbatis ordinantibus saculares cum dimissorys Episcopi expenditur.

18 Abbas qui sine Episcopi consensu contrahit tonsuram, & minores ordines regularibus alterius religionis dimissis a suis Superioribus incidit in penam suspensionis ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati sunt suspensi ab executione ordinum.

19 Ordinari a non habente potestatem non sunt suspensi, sed iterum ordinandi.

20 Degradatio Clericorum an possit demandari ab Episcopo Abbatis, Presbyteri, & benedicti.

21 Degradatio est ordinis Episcopalis. Muro spirituali est duplex, ibidem.

22 Depositio ab ordine ad eum spectat, ad quem spectat ordinatio.

23 Declaratur, num. seqq.

24 Spiritualia facilius destruuntur, quam destruuntur.

25 In Degradatione Presbyteri olim sex Episcopi erant adhibendi, tres in degradatione Diaconi, vel Subdiaconi.

26 Depositio verbalis ab ordinibus etiam sacris fieri potest ab Episcopo tam per seipsum, quam per eius generalem Vicarium.

27 Degradatio sollemnis fieri potest ab Episcopo per seipsum adhibitis tamen sex Abbatis usum mitrae, & baculi habentibus.

28 Vel alij personae ecclesiasticae etiam non dioecesanis si Abbates commode interesse non possint, & num. 33.

29 Degradatio post Concilium Tridentinum fieri potest ab Episcopo alij Episcopo non adhibitis non solum in casu heresis, sed etiam in alijs criminibus in quibus ad actualem degradationem sit procedendum.

30 Laici quantumvis graves non possunt hodie degradationem asserere sicut poterant de iure communi in casu heresis.

31 Praelati regulares ordinum Mendicantium non dicuntur in dignitate ecclesiastica constituti quo ad hoc ut possint

posse actualem degradationem asserere.

32 Abbates non debent interesse examini, vel processui degradationis, sed tantum actualem degradationem asserere, ut asserores.

AQUA. Ecclesia polluta per Sacerdotem simplicem reconciliari non potest, etiam si aqua fuerit per Episcopum benedicta. Hoc dicit, & tria facit. Ponit dictum, damnat contrariam consuetudinem causam reddens, & subdit praerogativam tolerantiam. Secunda ibi non obstante, tertia ibi, Quod autem.

Nota ex hac decretali insignem regulam in materia delegationis, videlicet ea quae jurisdictionis existunt etiam minoribus Clericis ab Episcopo demandari posse, ut cognoscere de causis, iudicare, instituire, beneficia conferre, & omnia alia quae assecutus est Episcopus in confirmatione, c. Transmissam, supra de elec. nihil enim habet Episcopus quod sit meri imperij, quod non sit delegabile, ut ait gloss. in cap. Perrenit, 97. dist. quam dicit singularem Abb. hic num. 3.

La vero quae sunt ordinis Episcopalis committi non possunt ab Episcopo Clericis inferioris gradus, id est non Episcopis, ut consecratio Virginitatis, ordinatio Clericorum, consecratio ecclesiarum, & similia de quibus in c. Quanto, 68. dist. Ita hanc regulam ponit textus hic, & gloss. in d. cap. Perrenit, prope finem, Anton. de Butr. hic num. 3. & 4. Petr. de Anchar. num. 4. & Abb. num. 2. Similem regulam ponunt Doctores, & in specie Butr. num. 12. in cap. Quanto, supra de consuet. id est consuetudinem posse plurimum in his quae sunt jurisdictionis, sed in his quae sunt ordinis nihil posse. Unde hic consuetudo quae simplices Sacerdotes de mandato Episcopi reconciliant ecclesias pollutas improbat tamquam corruptela. Et sic censetur sublatam etiam si sit temporis, cuius initium non extet memoria in contrarium, ut scripti plene in eod. cap.

Quanto. Rationem vero differentiae cur ea quae sunt jurisdictionis possint inferioribus delegari ab Episcopo, non autem ea quae sunt ordinis, optime assignat gloss. hic in ver. Jurisdictionis, quia scilicet jurisdictioni sola voluntate, & verbo committitur sive delegata fuerit, sive ordinaria, & revocatur. cap. Super quastionam, §. Intentioni, & §. Porro, sup. de off. deleg. l. Iudicium, ff. de iudic. Collatio vero Sacramentorum non confertur sola voluntate, vel verbo, imò facto opus est, quia necessaria est visibilis unctio, & exterior, quae est signum interioris unctiois in corde, cap. Vnico, sup. de Sac. Vnct. quae perpetua est & amitti non potest, licet executio quandoque suspendatur, cap. Quod quidam, vers. Si forte mitria, l. qu. 1. Et hoc innuit, Abb. Antiqu. hic num. 1. dum dicit, licet ea quae sunt jurisdictionis possint Episcopus inferioribus demandare, non tamen ea quae sunt ordinis Episcoporum inherere; quae scilicet non sola voluntate, aut verbo, sed per consecrationem conferuntur, & Host. num. 3. dum reddit rationem huius differentiae, quia ordo, inquit, non per commissionem, sed per manus impositionem transfertur, d. c. unico, sup. de Sac. Vnct. & c. fin. de Sacram. non iterum. Hoc ipsum docuit S. Thomas in 2. 2. q. 39. art. 3. dicens potestatem Sacramentalem esse quae per aliquam consecrationem confertur. Et hanc remanere in homine qui eam per consecrationem est adeptus quandiu vivit; potestatem ve-

ro jurisdictionalem esse quae ex simplici injunctione hominis confertur, & idem non immobiliter adheret.

Procedunt tamen haec in Episcopo qui non potest ea quae ordinis Episcopalis sunt demandare, nisi constituto in ordine Episcopali; Papa vero potest ea committere etiam inferioribus Sacerdotibus, ut de minoribus ordinibus patet in c. Quoniam, 69. dist. in cap. cum contingat, de arat. & qualis. & in c. Abbates, de privit. in 6. De Sacramento Chriftianis est textus in d. cap. Perrenit, 97. dist. & tradunt omnes in c. Quanto, supra de consuet. & dixi late in d. c. unico, §. Per frontis, supra de Sac. Vnct.

Et de reconciliatione ecclesiae pollutae tradit hic Innocentius, ubi dicit se ante audivisse Papam pluribus Episcopis indulgisse, ut per simplices Sacerdotes possent reconciliare ecclesias aqua tamen prius per Episcopum benedicta. Verum Clemens Papa IV. ut subdit Host. in fine hoc de facili non concedebat, nisi de ecclesiis nondum consecratis de quo remittit ad id quod legitur, & notatur infra in cap. pro. An autem Papa possit committere non Episcopo, ut consecrat ordines sacros dixi in d. c. Quanto, num. 4. de consuet.

Secundo nota Episcopatum esse ordinem, ut hic patet in ver. Ordinis Episcopalis. Unde secundum Hostien. n. 2. Taceant qui dicunt in ecclesia Dei non esse nisi septem ordines: nam & Tonsura ordo est, & Episcopatus ordo est, ut hic aperte probatur de Episcopali. De prima tonsura, & de omnibus aliis probatur, & notatur plene in c. Cum contingat, supra de arat. & qualis. Hae est unanimes Canonistarum fere omnium sententia, a qua tamen discrepant Theologi, qui tenent primam Tonsuram, & Episcopatum non esse ordines proprie. De Tonsura scripti laxissime in d. c. Cum contingat, Et de Episcopatu in ca. de ordinat. ab Episc.

QUAERO, An Episcopus possit committere Abbati Presbytero, & benedicto, ut primam tonsuram, & minores ordines consecrat secularibus ipsius Episcopi jurisdictioni subiectis.

Hanc dubitationem jam pridem sustulit Sacra Congregatio Concilij in causa Bononien. censuit enim Abbates postquam ordinem Sacramentalem, & munus benedictionis susceperint posse tonsuram, & minores ordines secularibus Episcopi jurisdictioni subiectis conferre si modo ipsius Episcopi consensus accedat, sique pro se quisque ab eodem Episcopo litteras dimissorias impetraverint ita ut satis non sit id generatim ab Episcopo fuisse concessum, sed haec semper concessione singulis opus sit. Possit idem eosdem ordines conferre aliis regularibus, qui litteras dimissorias speciales suorum Superiorum, nec non specialem consensum Episcopi loci habuerint: ac praeterea aliis secularibus subditis aliorum Episcoporum, dum tamen & ipsi attulerint speciales dimissorias suorum Ordinariorum, & consensum specialem Episcopi loci.

Verum huius declarationis veritatem in dubium revocant moderni Collectores in c. Cum contingat, supra de arat. & qualis. eamque impugnant hoc fundamento, quod cum decreto Concilij Tridentini in cap. 10. sess. 23. statutum sit, ut Abbatibus, &c. non liceat in posterum cuiquam qui regularis subditus sibi non sit tonsuram, vel minores ordines conferre, nec litteras dimissorias aliis quibus Clericis secularibus, ut ab aliis ordinibus

tu concedere, &c. Non obstantibus quibusvis privilegijs, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus: supradicta decisio videatur pugnare cum illis verbis Concilij, cuiquam qui regularis subditus sibi non sit. Quæ verba dicunt excludere seculares etiam subiectos Abbatibus, & in quos ipsi Abbates habent ordinariam jurisdictionem, & multo magis subditos alterius habentes litteras dimissorias ad recipiendos ordines etiam ab ipsis Abbatibus. Et ob eandem rationem dicunt prædicta verba excludere regulares non sibi subditos etiam speciales dimissorias suorum Superiorum, & specialem consensum Episcopi loci obtinuerint, quia neque in hoc casu asserunt eam decisionem sustineri posse, cum Concilium exigat, ut is cui Abbas vult ordines conferre sit regularis sibi subditus.

Sed his non obstantibus tu adhzreas decisione, quia habetur in libris publicis S. Congregationis super cap. 7. sess. 6. Unde de illius veritate ambigi non potest, & refertur etiam, licet corrupte, ab Azor. in sic. moral. par. 1. lib. 12. cap. 2. quest. 1. & Stephan. Quaranta in summ. Bullar. ver. Ordo, vers. Abbatibus. Et quod spectat ad decretum Concilij in d. c. 10. sess. 23. Observa diligenter ad ordines conferendos requiri duplicem potestatem vide licet potestatem ordinis, quæ per aliquam consecrationem confertur, & potestatem jurisdictionis, quæ confertur simplici voluntate, & verbo, cap. 2. 9. quæ 2. cap. Nullus, de Paroch. glof. hic in verb. jurisdictionis, & declarat S. Thomas in 2. 2. quest. 39. art. 3. Ordinis potestatem assequuntur Abbates in actu solemnibus benedictionis, quia benedictio hujusmodi largo modo dicitur consecratio: & id proportionabiliter præstat Abbatibus, quod consecratio Episcopi, ut dicit Butr. in d. cap. Cum contingat, in 3. not. num. 6. & Felin. in cap. Inter monasterium, in princ. de re iudic. Intellige secundum ea, quæ dixi in cap. 1. in 2. not. ab. de suppl. neglig. Prelat. Potestatem vero jurisdictionis accipiunt Abbates in actu confirmationis etiam ante susceptum munus benedictionis, c. Nostri, de elect. glof. in d. cap. 1. in ver. Substitutos, Oldrad. consl. 14. num. 4. & seq. Felin. in cap. Memimus, in princ. de accusat. Utriusque potestatis sit mentio in d. cap. Quoniam, 69. dist. & in d. cap. Cum contingat, de ar. 6. & qual. De potestate ordinis ibi: Dummodo ipsi ab Episcopo secundum morem præficiendorum Abbatum manus impositio facta noceatur, id est fuerit solemniter benedicti, ut illic glof. & DD. interpretantur. De potestate jurisdictionis ibi: (solummodo in proprio monasterio faciendi,) id est non in extraneo ut exponit Hostien. in 5. in ver. In proprio monasterio, glof. in d. cap. Abbatibus, in ver. Convalescentis, de privil. in 6. Specul. rit. de privil. num. 5. Ea enim verba ostendunt potestatem ordinis quam Abbates Presbyteri accipiunt in solemnibus benedictione non debere in actu exire nisi quoad Monachos sui monasterij, ad de vel quoad seculares in quos habent ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem juxta textum in d. c. Abbatibus, Potestas quidem ordinis spectat ad validitatem ordinationis: nam sine illa nihil confertur, c. Presbyteri, 68. dist. glof. præ alleg. hic in ver. Jurisdictionis, Lap. alleg. 138. n. 4. Cum umbra quædam ostendatur in opere, videtur autem non subeant in effectu dicit textus in c. Quanta supra de consuet. Potestas vero jurisdic-

tionis ad essentiam ordinationis non pertinet, sed ad illius executionem, seu executionem, & legitimum usum ejus, cap. 1. & 3. 7. dist. Quia scilicet potestas ordinis non debet exire in actu nisi secundum quod movetur à potestate Superiori, S. Thomas, ubi supra. Unde Abbas, si sit Presbyter, & benedictus ordinando sibi non subditum characterem imprimit, sed ordinis executionem non confert, quia scilicet non deest illi potestas ordinis, sed tantum potestas jurisdictionis, ut post Boatin. tenet glof. penult. & DD. in d. c. Abbatibus, de privil. in 6. Archid. Turrecrem. & Præpos. in d. cap. Quoniam, 69. dist. Jo. Andr. & alij in d. cap. Cum contingat, supra, de ar. & qual. At si Sacerdotalem ordinem ac munus benedictionis non suscepit ordinando nihil confert, quia deest illi potestas ordinis, d. cap. Quanta, de consuet. & not. in d. cap. Cum contingat, Hostien. Jo. Andr. Butr. Abb. & ceteri omnes Bertrac. ch. in tract. de Episc. lib. 3. part. 2. num. 9. Sylvest. in ver. Ordo, 3. sub num. 2. vers. Simpliciter vero Abbatibus, Rebut. in præsi. rit. de clerico, 12. & quib. & quom. num. 14. Dum verò Concilium in d. c. 10. sess. 23. statuit ut Abbatibus non liceat tonsuram, & vel minores ordines conferre cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, ademit quidem Abbatibus auctoritatem seu potestatem jurisdictionis, quam habebant ad ordines ritè, & rectè conferendos respectu secularium etiam sibi subiectorum.

Et ita in hoc derogavit dispositioni d. c. Abbatibus, sed non ademit, aut limitavit ipsam potestatem ordinis, quia hæc potestas tanquam indivisibilis non recipit restrictionem, nec potest pro parte auferri, & pro parte non, ut latissime probavi in c. 1. supra de suppl. neglig. Prelat. Et propterea Abbas benedictus ordinando regulares sibi non subditos, aut seculares etiam post Concilium, imprimit characterem, ratione scilicet ab soluta potestate ordinis quam ex concessione septimæ synodi accepit in impositione manuum, licet non conferat ordinis executionem ob ademptam sibi à Concilio auctoritatem, seu jurisdictionem quoad non subditos regulares, ita ut proinde sic tonsurati non debeant iterum tonsurari, ut sæpius respondit S. Congregatio Concilij cujus declarationes complures retuli in d. c. 1. Itaque Abbas Presbyter, & benedictus respectu regularium sibi non subdito rum, aut respectu secularium caret tantummodo jurisdictione propter Concilij prohibitionem, sed potestate ordinis non caret. Defectum autem jurisdictionis supplet Episcopus qui Abbati imperitur licentiam ordinandi suos diocesanos: aut per specialem consensum, aut per litteras dimissorias ipsi Abbati directas juxta relatum S. Congregationis declarationem. Ergo cum hoc casu non deficiat Abbatibus potestas ordinis, nec potestas jurisdictionis, consequens est ut ordines ab ipsis ritè, & rectè conferri valeant.

Nec obstant verba illa d. c. 10. cuiquam qui regularis subditus sibi non sit. Quandoquidem Concilium sibi sustulit facultatem ordinandi seculares, quam Abbates habebant, vel jure ordinario ratione quasi Episcopalis jurisdictionis, vel ex indulto Sedis Apostolicæ juxta text. in d. c. Abbatibus, de privileg. in 6. Sed non eam quam consequi possent ex licentia, vel delegatione Episcopi diocesani. Ratio est, quia decretum illud fuit editum in favorem ipsius Episcopi diocesani, ut pa-

ccet

ret ex illis verbis: Sed horum omnium ordinatio ad Episcopos intra quorum diocesis fines existat pertinet: & consequenter diocesano licere debet in hoc favori suo renunciare, & consentire, ut sibi subiecti ab alieno Antistite promoveantur, c. 1. 2. 3. & per ratam, 71. dist. c. Lugdunensis, 9. quæ 2. cap. 8. sess. 23. Concilij Tridentini. Simile in Episcopis Titularibus, qui etiam prohibeantur à Concilio in cap. 2. sess. 14. quemquam ordinare, etiam in locis nullius diocesis: tamen de Episcopi diocesani consensu bene ordinare possunt, quia scilicet non caret potestate ordinis, quam in consecratione acceperunt, c. Transmissam, de elect. Et quamvis careant potestate jurisdictionis, cum subditos non habeant tanquam clero, & populo carentes, ut dicitur in d. c. 2. tamen hujus potestatis defectus bene suppleri potest per consensum Episcopi diocesani, cuius interest, ut aliàs fuit responsum, & praxis observat: nam & hodie videmus in diocesi Ostiensis, & Sabinen. & alibi Pontificalia, & alia que sunt ordinis exerceri ab Episcopis Titularibus in partibus infidelium, quos Cardinales Episcopi in suffraganeos assumpserunt ad prescriptum Concilij Lateranensis sub Leone X. sess. 9. de Cardinal. Eandem rationem optime assignat glof. hic in ver. Jurisdictionis, iudicens, Unus Episcopus alij Episcopo potest ea que sunt ordinis demandare, & per hujusmodi demandationem nihil ei committit, cum ipse Episcopus habeat ea que ministerium consecrationis desiderant, & ei deest tantum auctoritas: quia in alienam messem falcem mittere non debet nisi de voluntate, & mandato illius, cuius est diocesis, cap. Scriptum est, 6. quæ 3.

Accedit quod Concilium in d. c. 10. sess. 23. dum prohibet Abbatibus, ne tonsuram, vel minores ordines conferant, nisi suis subditis regularibus, concordat cum juris communis dispositione: nam hoc ipsum prius statutum fuerat in d. c. Quoniam, 69. dist. & in d. cap. Cum contingat, de ar. & qual. per illa verba, solummodo in proprio monasterio faciendi, id est in sui monasterij Monachos, non autem extraneos, ut dixi supra ver. Vtriusque potestatis: & tamen non obstante prohibitione septimæ Synodi, de qua in prædictis juribus, Abbas si fuerit invitatus potuit tonsuram, & minores ordines conferre etiam Monachis alterius monasterij, & sic regularibus sibi non subditis, ut in d. cap. Quoniam, tradit glof. in ver. Monasterio, Archid. num. 5. in glof. Sed & Monachos, Turrecrem. num. 5. & Præpos. num. 1. per textum in d. cap. Lugdunensis, 9. quæ 2. Adem tenent in d. c. Cum contingat, Henric. Boich. & Joann. de Asan. ambo in princ. Bellam. num. 2. & omnes. Ergo eodem modo id Abbatibus licere debet hodie si fuerint ab Episcopo invitati non obstante prohibitione Concilij Tridentini: nam lex nova dispensans in materia antiqua recipit interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat, l. in contradiis, §. Præterea, C. de non numer. pecun. glof. Bart. & DD. in l. sciendum ff. Qui satis cogam.

Non obstat quod in Rota de mandato Clementis VIII. propositio hoc dubio, videlicet, An Abbates, qui habent facultatem conferendi tonsuram, vel minores ordines subditis sibi regularibus possint stante decreto Concilij Trident. c. 10. sess. 23. tonsuram, vel minores ordines conferre

per foras seculares habitibus litteras dimissorias à suis Ordinarijs: re mature discussa resolutum fuerit, non posse, ut patet in decis. Cardin. Seraph. 98. Etenim hæc decisio, ut salvari possit, videtur intelligenda de secularibus habitibus litteras dimissorias generales cuiuscumque Antistiti directas, non autem de habitibus speciales directas, ipsis Abbatibus: nam si intelligeretur hoc secundo modo, pugnaret ex diametro cum declaratione Sac. Congregationis, & sustineri non posset, supponit enim Abbates Presbyteros, & benedictos carere potestate conferendi tonsuram, & minores ordines personis secularibus: & arguit hoc modo. Quomodo modum Papa non potest dare licentiam ei qui ordinatus non est conferendi ordines sacros, ut tradit Inoc. in c. Quanto, de consuet. cum nemo det id quod non habet, ita neque per dimissorias suas potest Episcopus dare facultatem ei, qui ea facultate ex dispositione Concilij caret. Sed hoc suppositum est falsum, quia Abbates hujusmodi etiam respectu secularium non caret potestate ordinis, sed tantum potestate jurisdictionis, ideoque ordinando illos etiam absque dimissorijs Episcopi diocesani imprimunt characterem, licet non conferant ordinis executionem ob ademptam sibi à Concilio jurisdictionem, ut ab unde ostensum est supra: Hunc autem jurisdictionis defectum supplere potest Episcopus, quoad ejus subditos, consentiendo ut ordinari valeant à prædictis Abbatibus ordinis potestatem habentibus, ut similiter patet ex dictis. Nec propterea, ut dicit Rota, prohibitio Concilij redditur superflua. Siquidem in hoc operatur effectum suum, quia sustulit facultatem quam prius habebat Abbates ordinandi sine dimissorijs Episcopi personarum seculares, in quas habebant ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem, juxta textum in d. cap. Abbatibus, de privil. in 6. cujus dispositioni Concilium derogavit, ut eademem Rota fatetur in prædicta decisione. Item sustulit privilegia, & indulta Sedis Apostolicæ, quæ ante Concilium super hoc habebant nonnulli Abbates, ut in nunt illa decretalis ibi: Nisi eis id competat ex pleno præfate Sedis indulto: unde extendi non debet ad ulteriorem correctionem juris communis, arg. cap. Cum expedit, de elect. in 6.

Standum est igitur declarationi S. Congregationis quæ auctoritatem habet à Sede Apostolica Concilium Tridentinum autoritative interpretandi privatim quoad omnes, ut dixi latissimè in cap. Cum venissent, supra de iudic. in quæst. An & quibus liceat Tridentini Concilij decreta interpretari, & in cap. fin. de Constit. in quæst. An declarationes S. Congregationis Concilij habeant legis auctoritatem.

Et eo magis quia hujusmodi declarationi etiam postea adhæret eadem Congregatio: Siquidem fuit questum an Abbas Sanctæ Mariæ de Succursu Ordinis Montis Olivæ potuerit in loco in quo jurisdictionem quasi Episcopalem habet in Parochos, & Parochianos conferre minores ordines tribus regularibus Ordinis S. Augustini à suis Superioribus ad hunc effectum dimissis. Et S. Congregatio censuit non obstarè quod Abbas non sit benedictus, cum ex privilegio Julij II. habeatur in omnibus pro benedictis: sed non licuisse illi conferre minores ordines directis regularibus: propterea quod non aderat consensus Episcopi

Bb 3

piscopi

piscopi loci, ut habetur in *cap. ult. sess. 6.* ut alijs decretem à S. Congregatione in casu Bononien. Non tamen incidit in poenam decreti *d. cap. 10. in fine*, quia loquitur in Episcopis Nullius, neque in poenam. *cap. 8. sess. 23.* quia loquitur quando sine testimonio ordinarij loci contulisset ordines juxta *cap. 10. & cap. fin. de tempor. ordin. in 6.* sed in poenam. *c. fin. sess. 6.* quia sine licentia Ordinarij loci contulit ordines. Et quamvis *d. cap. loquatur* in Episcopo; tamen S. Congregatio censuit multo magis habere locum in Abbate, & cum simpliciter *d. c.* Dicit suspensum ab exercitio Pontificalium intelligi absolute, non autem per annum dumtaxat, quia quando voluit suspendi per annum tantum, expressit, ut *d. cap. 2. & d. c. 8.* & sic Abbas iste erit tantum suspensus ab exercitio illorum actuum quos Pontificali dignitate, & auctoritate exercuit nempe à collatione ordinum, & similitum, non autem censetur suspensus à divinis, quæ ut religiosus Sacerdos celebrare poterat. Unde consequens erit, ut si postea celebravit, non idem effectus sit irregularis; tamen indigeat rehabilitatione ad exercitium Pontificalium, à quibus fuit suspensus. Item erit advertendum ad ordinatos, quia & ipsi sunt suspensi ab executione ordinum, & si celebrant sunt irregulares, & indigent dispensatione.

19 Ex qua declaratione quod spectat ad rem præsentem duo colliguntur. Primum est licere Abbatibus benedictis, vel habentibus privilegium perinde ac si essent benedicti conferre minores ordines personis secularibus, aut regularibus sibi alijs non subditis, si modo habeant litteras dimissorias speciales à proprio Episcopo. Propterea enim prædictus Abbas Olivetanus ordinando regulares alterius ordinis incidit in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, quia defuit consensus Episcopi Diocesani, ut dixit S. Congregatio. Ergo si Episcopus consensisset, Abbas in nullam poenam incidisset, qui est casus decisionis Bononien.

Alterum est ordinationem non subditorum factam ab hujusmodi Abbatibus etiam sine dimissorijs proprij Episcopi non esse irritam: nam regulares S. Augustini à dicto Abbate ordinatos, S. Congregatio dixit esse suspensos ab executione ordinum; ergo character fuit impressus. Nam si impressus non fuisset ex defectu potestatis in ordinante sic promoti non fuissent suspensi, sed potius iterum ordinandi. *Chorepiscopo. c. Quamvis, & cap. Presbyteri, 68. dist. cap. Nihil, 7. q. 1. Hostien. Jo. Andr. & omnes in eum. & ibi dixi. 6. supra de sacra unit. Henric. Boich. post alios in c. fin. de sacramen. non iterum.* & ita Abbates hujusmodi etiam post Concilium non carent proorsu, ut putavit Rota, potestate ordinandi seculares aut regulares sibi non subditos. Hanc materiam latius prolequor in *c. de suppl. neglig. Prælat. in q. An Prælati inferior seculares habens privilegium post Concilium conferendi tonsuram, & minores ordines certis personis dumtaxat, ordinando alios quam in litteris designatos, imprimat characterem necne.* Post hæc scripta emanavit à S. Congregatione Concilij infrascripta declaratio, quæ est originaliter in libro memorialium pag. 407. videlicet

In causa Cathanien. Juris conferendi ordines minores inter Episcopum Cathanien. ex una, & Monachos Ordinis S. Benedicti Congregatio-

nis Casinenus, ac alios, ex altera, die 23. Novemb. 1641. S. Congregatio, & utraq; parte informante ore, & scriptis, ac rationibus hinc inde deductis maturè examinatis, inherendo decisioni Rotæ Romanæ sub die 27. Aprilis 1592. coram bon. mem. Cardinali Seraphino de ordine fel. record. Clem. VIII. factæ, nec non declarationibus ejusdem S. Congregationis dictæ decisioni conformibus subsequitis, censuit, improbata opinione contraria, Abbates Regulares benedictos ejusdem Congregationis Casinenus, seu alterius Congregationis, vel Ordinis, aut instituti habentes etiam jura Episcopalia, seu quasi Episcopalia, usumque Mitræ, baculi, & benedicens, ac facultatem primam tonsuram, & minores Ordines conferendi, non posse dictam primam tonsuram, nec alios ordines minores, nisi suis subditis Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel instituti, etiam si habeant litteras dimissorias suorum Superiorum, & consensum Ordinarij, intra quorum diocesum fines ipsi Regulares ordinandi existant; & multò minus personis secularibus etiam habentibus litteras dimissorias à suis Ordinarijs. Ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Prælati inferioribus, ut in futurum concedere non audeant supra dictas litteras dimissorias hujusmodi Abbatibus directas, nec ab istis recipi. Quod si secus fiat, tant concedentes, quam ordinantes à collatione Ordinum suspensi remaneant, præter alias poenas arbitrio ejusdem Congregationis reservatas.

Et iterum propositis dubijs, an Abbates Regulares benedicti habentes jura quasi Episcopalia primam tonsuram, aut minores Ordines possint conferre secularibus Clericis, Episcopi jurisdictioni subiectis, si modo ipsius Episcopi consensus accedat: itidem an prædicti Abbatis possint Regularibus alterius Ordinis, qui litteras dimissorias suorum Superiorum Regularium, & consensum Episcopi loci habuerint, possint prædictam tonsuram, & minores Ordines conferre.

Die decima Maji 1638. S. Congregatio Concilij ad utrumque dubium respondit, non posse.

20 Secundo QUÆRO, An degradatio possit ab Episcopo demandari Abbatibus Presbyteris, & solemniter benedictis.

21 Respondeo non posse, quia degradatio est ordinis Episcopalis. *c. Degradatio de pen. lib. 6. & notatur in cap. Cum non ab homine, de iudic. Hostien. in cap. Dilectus, & cap. Irre si agibilis de offic. ordin. DD. in cap. Cum contingat, ubi in specie Collectar. n. 3. de foro compet. Ea verò quæ ordinis Episcopalis existunt non possunt Clericis inferioris gradus, id est non Episcopis demandari, ut hic patet, & dixi supra in 1. notab. Unde, ut dicebat Archid. in c. Dilectus, n. 1. in ver. Mucrone, de sent. ex comm. lib. 6. duplex est mucro spiritualis, alius disciplinans, sive medicinalis, ut excommunicatio, qui non ad punitionem, sed ad correctionem tantum vibratur; Alius eradicans, sive mortalis, ut degradatio, qui non tantum ad correctionem, sed etiam ad punitionem infligitur, & hic est mucro Episcopi specialissimus: unde nullus non ordinatus in Episcopum ipsum vibrare potest. Quod dictum Archidiaconi sequatur Jo. Andr. in cap. 1. num. 4. in verbi. Cum ab omni mucrone, & Anchar. num. 2. in 5. notab. de homicid. lib. 6.*

Nec

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis.

Cap. Presbytero.

S V M M A R I U M.

- 1 **H**oras Canonicas dicere tenetur Presbyter horis debitis, et amen ex causa permittitur, ut mane illas dicat usque ad vespertam inclusive.
- 2 Matutinam debet inchoari media nocte, & expleri mane.
- 3 Potest tamen dici de sero ex causa, alias secus.
- 4 Hora Canonica ex aliqua rationabili causa possunt insimul dici usque ad vespertam inclusive.
- 5 In Horis Canonicis dicendum satius est prævenire, quam præveniri.
- 6 Cessante legitimo impedimento horis debitis sunt persolvenda, ita ut hora officij respondeat hora diei.
- 7 Eremita miraculum, cui Angelus intermedium desiderabat uvas acerbas, interdum maturas, interdum maridas, num. 8.
- 8 Debitor non potest prævenire tempus solutionis quando dilatio apposta est creditoris gratia.
- 9 Agricultura operam dare Presbytero non est prohibitum.
- 10 Hora Canonica an sint septem, vel octo.
- 11 Vigilia nocturna quæ sint, & quor. & quibus temporibus dicantur.
- 12 Horas Canonicas dicere qui tenentur, & num. seqq. usque ad num. 30.
- 13 Quid in presbyteris.
- 14 Et quid in Diaconis, & Subdiaconis, & num. 19. Et quid in Clericis Minorum ordinum beneficiatis, num. 17. & num. seqq. usque ad num. 26. Et quid in non beneficiatis, n. 26. & num. seqq. Et quid in Clericis professis, num. 28.
- 15 Presbyteri nomen largè comprehendit etiam Diaconos, Subdiaconos. Sed non alios Clericos, nisi vulgariter proferatur, num. 27.
- 16 Horas Canonicas omittentes Clerici in sacris an non beneficiati graviter peccant, & puniuntur ex Concilio provinciali Mediolanensi, & num. 25.
- 17 Clerici in sacris, & in minoribus beneficiati in multis equiparantur.
- 18 Horas Canonicas an Clerici in sacris, vel in minoribus beneficiati teneantur dicere de iure divino.
- 19 Quilibet Clericus habens officium cum cura, & sine cura si post sex menses officium divinum non dixerit, fructus suos non facit pro rata omissionis, & temporis; & beneficio privari potest ex Concilio Lateranensi.
- 20 Et quomodo hæc rata sit accipienda ex Bulla Pij V. Bulla Pij V. contra recitantes divinum officium referatur, ibid. & num. seqq.
- 21 Horas Canonicas qui primis sex mensibus post obtentum beneficium non dicit, graviter peccat.
- 22 Horas Canonicas tenentur dicere etiam obtinentes præsimonia, vel alia beneficia nullum servitium requiruntia.
- 23 Pensionarij tenentur dicere officium parvum Beate Mariæ virginis, alias pro rata fructus suos non faciunt.

Bb 4

- 25 Ab horis Canonici dicendis non excusatur, qui febri vel adversa valetudine leviter laborat.
- 26 Clerici in minoribus non beneficiati an teneantur ad horas canonicas, & num. seqq.
- 27 Novitij non tenentur ad horas canonicas, sed ad aliquod determinatum.
- 28 Ad horas canonicas tenentur presbyteri Clerici etiam in ordinibus minoribus constituti.
- 29 Fallit in Clericis Societatis Jesu.
- 30 Officium B. Marie Virginis, ac Defunctorum an ex precepto recipere teneantur Monachi S. Bernardi Hispaniarum Ordinis Cisterciensis, & num. seqq. usque in fin.
- Breviario Monastico reformato utentes gaudent isdem privilegijs, quibus gaudent utentes Breviario Romano.
- 32 Bulla Pij V. super Breviario Romano quoad officium B. Marie Virginis expenditur, & n. seq. usq. in fin.
- Officium B. Marie Virginis, ac Defunctorum, & c. qui ad prescriptum rubricarum non dicunt, & psallunt, nun peccant, ibidem.
- 33 Officium B. Marie Virginis an esset in precepto ante Bullam Pij V. & num. seqq.
- 34 Obligatio predicti officij unde initium sumpserit.
- 35 Officium B. Marie Virginis est in precepto si ita se habeat ecclesia, vel Monasterij consuetudo.
- 36 Constitutio nova non tollit speciales locorum consuetudines, vel statuta.

PRESBYTER. Habet multa dicta, & legitur variè, & ideo communiter non summat. Sed secundum intellectum qui videtur communis, sic sumari potest, secundum Cardin. & Abb. Presbyter tenetur horis debitis dicere Horas Canonicas, eitam ex causa permittitur, ut mane illas dicat usque ad vesperam inclusive, & habetur paucis immutatis in c. Presbyter 91. dist. ubi Archid in princ. dicit, hoc c. Habetur hic pro palea, sed pro grano ponitur extra de celebr. Missar. c. 1. Dividitur in tres partes. In 1. præcipit, ut officium dicatur horis debitis. In 2. specificat causam propter quam permittitur anticipatio, ibi, Deinde. In 3. concludit ibi, Ergo.

Nota i. ibi, mane. Matutinum esse complendum manè, & sic ante ortum solis, secundum Abb. hic in 1. notab. debet tamen inchoari à media nocte, & ideo infra sequitur in littera, Media nocte surgebam, secundum Hostien. num. 4. Joan. Andr. in princ. & Anchar. in 1. notab. Sed certè ut observat Abb. ubi supra, si matutinum inchoetur media nocte, non poterit expleri mane, quia in eo recitandum tantum temperis non insumitur; nisi forte servaretur consuetudo quorundam religionum, qui media nocte incipiunt matutinum, & recitant usque ad laudes, & postea incipiunt laudes paulò ante diluculo, & explentur mane, id est hora diei prima. Sic enim optime servatur quod dicitur in textu secundum eum. Verumtamen de sero matutinum dicere propter honestatam occupationum necessitatem non est malum, quia melius est Deo laudes debitas præveniendò reddere, & alia honesta officia postmodum explere, quam si per unum aliud impediatur: Sed si hoc heret ad quietius vacandum somno, & voluptati, non esset absque peccato. Ita S. Thomas quod l. 5. in fin. Silvest. in ver. Hora. n. 10. vers. Tertio.

- 4 Secundo nota ibi, Primam, Tertiam, ex aliquo rationabili causa (veluti si Clerico excedendum sit ad opus rurale) horas Canonicas possit insimul persolveri usque ad vesperam inclusive ut in littera secundum Host. n. 4. in ver. Vesperamque. Cardin. & Abb. in summario textus. Concilium enim est ut horæ omnes simul dicantur, ne supervenientibus occupationibus aliqua Hora omitatur, ut hic per gl. Innoc. n. 4. vers. Hoc autem quod dicit, & Abb. Antiq. in princ. & hoc servat Papa quoad Horas simul dicendas usque ad Sextam, & quandoque usque ad Nonam inclusive, nec non Cardinales, & Episcopi ex magna parte, ut Host. testatur hic in princ. Idque ob eam rationem, quia horis persolutis oportet eos multis negotijs vacare, & satius est prævenire quam præveniriam secundum Hugon. Primum providentia, secundum verò negligentia est, cum præsertim prima pars diei sit aptior, & devotior, quam suprema. Ad hoc l. 2. §. un. ff. de verb. signific. secundum Host. cum quo transiunt Jo. Andr. n. 10. & Abb. n. 3. vers. Nota bene glossam.
- 6 Tertio nota ibi, Horis competentibus, Cessantibus occupationibus, vel alio legitimo impedimento horas Canonicas esse dicendas horis congruis, seu competentibus, ita scilicet ut hora officij respondeat horæ diei, non quidem reciproce, sed gradatim, adeo ut matutinum dicatur in nocte, prima in diluculo, & sic de aliis horis, ut legitur, & notatur in c. 2. in 1. respons. supra de offic. Archiepiscop. & hic notat Host. n. 10. vers. Et dic horis competentibus, Henric. Boich. n. 3. & Abb. n. 3. col. 3. circa med. vers. Sed dicitur. Non igitur in dicendo potest Presbyter tempus anticipare, nec postponere, quia hæc divinis pro momenta dicendum facta est ad honorem Dei, cui officium impenditur, non autem ipsius Sacerdotis. Quotiescumque autem dilatio est apposita creditoris gratia, non potest debitor prævenire tempus infolutione, ut l. i. qui alias incipit, labeo, ff. de am. legat. & l. Qui Roma, de verb. oblig. secundum Joan. hic num. 3. & 4. Unde ut hic refert Joan. Andr. num. 11. & post eum Anchar. num. 6. Abb. num. 3. fertur miraculose de quodam Sancto Eremita, quem Angelus deficientibus elemosynis pascibat, eique interdum deferebat, utas acerbas, interdum marcidas: interrogatus Angelus ab Eremita quænam esset hujus diversitatis causa: respondit se acerbas deferre cum horas recitando preveniebat, maturus cum congruo tempore recitabat, marcidas cum nimis tardabat; & hoc ideo, ut subdit Joan. Andr. quia Eremita occupationibus involutus non erat.
- Quarto nota ibi, exeat ad opus rurale, Presbyteris esse permillum agriculturæ operam navare, ut hic & in c. Clericus vitium, 91. dist. & in c. Nunquam, de consecr. dist. 5. Quod tamen intellige secundum ea, quæ plenè notavi in cap. 1. num. 25. & seqq. & num. 46. usque ad num. 52. infra. Ne Clerici vel Monach.
- Quinto nota ibi, Septenarius numerus expletur. Horas Canonicas esse numero septem, & non plures, nec pauciores, ut hic patet, & notat gloss. fin. Host. num. 4. in ver. Vesperamque, & num. 24. Jo. Andr. n. 2. Henric. Boich. n. 2. in 3. quest. Butr. num. 8. Abb. col. 1. in fin. vers. Sed tunc non septies, & alii communiter Sot. de inst. & inr. lib. 10. quest. 5. art. 4. Sua. de relig. tom. 2. tract. 4. lib. 4.

- 11. Non desunt tamen qui sentiant horas Canonicas esse octo, matutinum à laudibus distinguentes, Navarr. de hor. Canon. c. 3. n. 27. post S. Anton. & in hac sententia fuit Archid. in c. Presbyter, 91. dist. separando illam auctoritatem, Media nocte surgebam, & c. ab aliis septem horis, de quibus ait Propheta, Septies in die, & c. Sed certè hoc jure non probatur secundum Abb. loca citata, & in oppositum clarè stat littera hujus decretalis, quæ dicit septenarium numerum impleri persolvendo Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam, & Completorium, & ita sub hora matutini complectitur etiam laudes, & de illis nullam faciat mentionem.
- 12. Ultimo nota ibi, Nocturnis. Vigiliis nocturnas appellari, quæ in nocte persolvuntur; cum de illis intelligatur auctoritas, Media nocte surgebam, ut dicitur in text. & innotat etymologia vocabuli, dicitur enim Nocturna, quia explentur nocte, & dicitur Vigilia, quia dicitur recitatur, vigilandum est, nontopendunt, ut inquit Host. hic n. 28. & Jo. Andr. n. 7. vers. Et dicit Hostiensis, & pro Vigiliis nocturnis, seu officio nocturno Archid. in d. cap. Presbyter num. 1. intelligit matutinum; pro officio autem dixit non sex laudes, id est Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam, & Completorium, Sed Host. hic num. 29. dicit Vigiliis nocturnas hic poni in plurali, quia sunt numero tres, videlicet matutinum, quod dicitur media nocte, Prima, quæ recitatur hoc dicendum est diluculo, licet aliqui illam dicant illico post matutinum, quæcumque sit illa hora, sicut servat Capella Pontificia; & Completorium, quod in Creptulculo dicendum est, vel paulo post, licet ecclesia Gallicana ipsum dicat statim post Vesperas. Tertia verò, Sexta, Nona, & Vespera sunt horæ diurnæ secundum Host. quem totidem verbis hic refert, & sequitur Jo. Andr. num. 7. Henric. Boich. num. 3. vers. Unde tres propria. Nec dissentit Archid. in d. cap. Presbyter col. 1. in fin. vers. Et nota, dum ait ex Beda Ecclesiam traxisse exemplum conveniendi octies inter diem, & noctem ad horas dicendas, à Judæis qui tempore Eisdem ad audiendam legem octies conveniebant quater in die, & quater in nocte. Cur autem Ecclesia hæc horarum tempora determinaverit, & præcipua opera Christi, & alia in singulari hujusmodi horis præclare gesta, & in futurum peragenda egregie commemorat ibi Archid. col. 1. sepe per totam.
- 13. QUÆRO generaliter quid ad horas Canonicas teneantur.
- 14. Certum est primò cunctis Presbyteris etiam non beneficiatis horas Canonicas esse in precepto: nam de Presbytero expressè loquitur hæc decretalis, eamque generaliter de Presbyteris omnibus esse intelligendam dixit Hostien. hic in princ. & in hoc gloss. ult. & omnes conveniunt, ut testatur Abbas num. 4. vers. Ideo adverte, & vers. Secundus casus, summa Tabien. in vers. Hora Canonica, num. 1. in 1. quest.
- 15. Deinde certum est ad horas Canonicas similiter teneri Diaconos, & Subdiaconos, licet beneficium ecclesiasticum non habeant; nam Presbyteri nomen hic sumitur largè, ut comprehendat omnes clericos in sacris ordinibus constitutos & est simile in c. 1. in fin. supra de bigam. & in c. 2. in princ. de sobabit. clerici. & multæ, & ita hic firmant Host. num. 2. & Abb. Antiq. num. 1. dicens clericos in sacris ad hoc teneri ratione ordinis, & quamvis subdat Petrum de Sampson Magistram suum in ea fuisse opinionem, ut ratione ordinis nemo teneatur ad horas Canonicas, arg. cap. Illud. & c. ult. 92. dist. hoc tamen nemo sequitur, & oppositum tenent hic Jo. Andr. n. 12. in ver. Presbyter. Henric. Boich. num. 5. & communiter Doctores, ut Abb. testatur loc. cit. Imò ad hoc nullas discrepat, ut asserunt Host. num. 3. & Jo. Andr. ubi supra, & consentit S. Thom. quod l. 4. q. 1. art. 8. & Summiste omnes in ver. Hora.
- 16. Quibus accedit quod in Concilio provinciali Mediolanensi primo in tit. de Canonico. Hor. non intermittere. §. Matris, tomo 4. Concil. p. 2. pag. 371. col. 2. littera E. statutum est ut infra, videlicet. Qui verò initiati beneficium Ecclesiasticum non habent, si divinum prætermiserint officium præter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab Episcopis in eos animadvertatur. Hæc ibi, & adde quod dicam infra num. 25.
- 17. Tertio manifestum est ad horas Canonicas teneri clericos omnes in minoribus ordinibus constitutos beneficium aliquod ecclesiasticum obtinentes: nam clerici in sacris, & clerici in minoribus beneficiati aliis æquiparantur, ut legitur, & notatur in cap. 1. supra de postul. Sed constituti in sacris proculdubio tenentur ad horas, ut supra proximè ostensum est: ergo multo fortius clerici minores beneficiati, arg. cap. Cum secundum supra, de preben. cap. Quod à te, & cap. Diversis, de cleric. conug. secundum Host. hic num. 3. Jo. Andr. num. 2. in ver. Presbyter, & in hoc similiter S. Thomas ubi supra, & Doctores omnes conveniunt, ut dicant Abb. & Tabien. loc. cit. Quinimo ratione sacri ordinis clerici tenentur ad horas dicendas de jure divino positivo secundum illud Psalm. 138. Septies in die laudem tibi dixi, ut hic per Abb. num. 2. clerici autem beneficiati, & sic viventes de patrimonio Crucifixi ad hoc tenentur de jure divino naturali, arg. d. c. Cum secundum, adeo ut Summus Pontifex nequeat super hoc dispensare, ut tenet Tabien. in ver. Hora Canonica, in 1. quest. & Angelan. eod. ver. quest. 6.
- 18. Poterit Leo X. in Constitutione septima, quæ incipit, Superna dispositionis arbitrio, editam generalis Concilio Lateranensi §. 38. in Bullar. tom. 1. pag. 477. statuit, ut quilibet habens beneficium cum cura, & sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimum cessante impedimento, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officij, & temporis, sed eos tamquam injustè perceptos in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur. Si verò ultra dictum tempus in simili negligentia, contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso privetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere quod hoc, ut beneficij privari possit, qui per quoddam dies illud bis saltem non dixerit; Deo tamen ultra præmissa de dicta omissione reddidit rationem. Quæ pena in habentibus plura beneficia reitabilis toties sit, quoties contrafacere convincentur. Hæc ibi.
- 19. Et quoniam animi suspicione multiangebantur cujusmodi rata prædictæ ratio esset habenda, Pius V.

Pius V. in sua Constit. 137. incip. Ex proximo, in Bullar. tom. 2. pag. 347. Statuit primo, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, seu beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero Matutinum tantum dimidiam: qui ceteras omnes horas ultra dimidiam: qui horarum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat.

Secundo ibi, tamen si, hanc penam amissionis fructuum voluit habere locum etiam si aliquis adstrictus Choro pratendat ex consuetudine, statuto vel fundatione se lucrificasse fructus, & distributiones ex sola presentia in Choro absque eo, quod Horas Canonicas recitaverit: amittit enim ratam superius praesentiam praeter amissionem fructuum, & distributionem.

22 Tertio ibi, Item ille: adiect, ut qui primis sex mensibus cessante legitimo impedimento officium non dixerit, intelligat se grave peccatum admisisse.

23 Quarto ibi, declarantes, praemissa locum habere declaravit etiam in obtinentibus praesentia, praesentia portiones, & qualicumque alia beneficia etiam nullum omnino servitium habentia.

24 Ultimo ibi, at quicumque: decrevit ut quicumque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas ut clericus percipit, modo praedicto obligatus ad dicendum officium parvum B. Mariae Virginis & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxius. Ad hanc Bullam vide Adnotationes Navarii in Manuali cap. 25. nu. 122. vers. Decimo tertio peccat mortaliter: & in Enchirid. de orat. cap. 7. & quod scripsi in c. conquerente, n. 8. supra de clericis, non resid.

25 Et ad praedictorum corroboracione adde provinciale Concilium Mediolanense quartum, par. 3. in rit. de vita, & honest. cleric. §. Sacerdos, tom. 4. Concil. par. 2. pag. 458. col. 1. ad fin. ubi sic legitur: Sacerdos, clericusque sacris initiatus, aut ecclesiasticum beneficium obtinens Horarum Canonicarum officio cum adstrictus sit, meminerit se febrim, morbove aliquo, vel adversa valetudine leviter aliquando laborantem, non justam propterea excusacionem habere, quanobrem illud intermitat, omittere. Itaque si quando corporis infirmitate affectus est, ipse pro sua conscientia recte videt praestare possit, ac ne omittendo graviter peccet, & beneficii, quod habet fructus, suos non faciat. Haec de Sacerdotibus, & Clericis tam in sacris, quam beneficium, vel pensionem obtinentibus.

26 De reliquis autem clericis, scilicet minorum ordinum non beneficiatis, non conveniunt Doctores an ad Horas Canonicas obligentur: nam gloss. ult. hic generaliter dicit non tantum Presbyteros, sed etiam alios clericos ad hoc teneri, arg. c. Cum secundum, de praeben. Non tamen aperit an hoc intellexerit de clericis minorum ordinum etiam non beneficiatis; sed apertius hoc videtur sensisse Innocentius hic in princ. Sic enim ait: Quilibet clericus etiam in non sacris ordinibus constitutus omni die debet dicere officia divina, vel audire: arg. cap. Clericus vicium, & cap. fin. 91. dist. 8. cap. fin. 92. dist. In Ecclesia autem omnes clerici eiusdem ecclesiae debent convenire ut eam officient, ut hic, & in d. cap. fin. 92. dist.

& qui altari, &c. d. c. Cum secundum. Hec Innoc. qui, ut videt, distinguit clericos in ecclesia beneficiatos ab aliis clericis, & tenit omnes quidem teneri, sed beneficiatos teneri in ecclesia, ubi habent beneficia. Abbas vero num. 7. quamvis asserat Doctores sentire clericos minorum ordinum non beneficiatos non teneri ad horas, & ita se habere generalem consuetudinem, quae non dicentem excusat, arg. c. Cum dilectus, de consuet. tamen ut ipse formaliter subiungit: de mente juris divini, & humani credo quod sit oppositum: nam eo ipso quod quis promovetur ad ordinem, assumit in sorte Domini, & transfert se in Deum, & in ecclesiam: unde eximitur a potestate seculari, ut c. Cum non ab homine, supra de iudic. optime facit, c. Cum portio, cum cap. praeced. 12. qu. 1. Nam ut quisque clericus debet vivere de patrimonio Christi, vel saltem Episcopos tenetur providere, cap. 2. cap. Episcopos, & 4. cap. Cum secundum, de praeben. Iam videtur ex mente Sancti Thomae de quodlibet. 5. q. 5. art. 8. in corpore, ait enim: Clericus ex hoc ipso quod est clericus, & praecipue in sacris ordinibus constitutus, tenetur dicere Horas Canonicas: Videtur enim tales specialiter esse assumpti ad laudem divinam, secundum illud Esai. 42. Omnem qui invocat nomen meum in laudem meam, et exavi illum. Videtur tamen loqui de clericis beneficiatis, ut patet ex his, quae immediate sequuntur, & ex themate quaestionis.

27 Contrarium patet verum. Primum quia hoc c. loquitur de Presbytero, & de ipso intelligit auctoritatem illam, superius in die, &c. Et quamvis Presbyteri appellatione largio sumpto vocabulo veniant etiam clerici in sacris ordinibus constituti, ut dictum est supra n. 15. tamen non veniunt constituti in minoribus, nisi vulgari idiomate proferatur: quo casu potest sumi ad differentiam laici, ut censuit Rota de res. 216. n. 3. par. 2. recent. Facit text. in cap. Tribus, de consuet. dist. 2. Nec dicitur secundum hoc etiam clerici minorum ordinum beneficiati exempti essent ab horis dicendis, cum nec ipsi comprehendantur appellatione Presbyteri: nam respondeo hos non teneri ex vi nominis Presbyteri, de quo text. loquitur; sed quia alias equiparantur clericis sacrorum ordinum, ut c. 1. de postulan. secundum Hofl. & maxime quia cum vivat de altari, tenentur ex iustitia altario inservire, arg. d. c. Cum secundum, de praeben. Quae ratio non viget in aliis clericis; nam Ecclesia Romana non consuevit cogere Episcopos ad providendum, nisi ordinatis ad sacros ordines, ut ait gloss. 1. in fin. in d. c. de praeben. & horarum veteri sine sufficienti titulo ordinari Tridentina Synodus in c. 24. sess. 21.

Secundo, quia clerici in minoribus possunt redire ad saeculum: ob quam rationem nec Novitii tenentur ad Horas Canonicas, sed tantum ad aliquid indeterminatum, ut per Sylvest. in ver. Hora Canonica, n. 3. vers. Sextus, & Tabien. in ver. Hora Canonica, §. 5.

Tertio, quia Constitutiones Apostolicae Concilia, & Doctores tam S. Theologiae, quam juris Pontificii non arctant clericos ad divinum officium recitandum, nisi sint in sacris, vel beneficiati: & ita ab huiusmodi onere eximunt minores clericos beneficia non obtinentes, adl. Cum praeter. ff. de iudic. & c. Nonne, de praesumpt.

Quarto, quia ex praecipua Bulla Pij V. obtinentur

tes pensiones, ut clerici obligantur tantummodo ad dicendum officium parvum B. Mariae Virginis; ergo ad officium divinum clericus non tenetur, licet pensiones obtineat, & longe minus si eas non obtineat.

Quinto, quia generalis consuetudo habet, ut tales non teneantur: & huiusmodi consuetudo valida est, secundum Abb. At non esset valida si esset contra mentem juris divini, ut cap. fin. supra, de consuet.

Sexto, quia esset importabile onus, ut puer septem annorum, qui potest prima tonsura initiari, c. in singulari, 77. dist. gloss. in c. Nullus, in ver. Infans, de tempor. ordin. lib. 6. quivè per hoc dicitur in sortem Domini assumptus, c. Cleros, 21. dist. cap. Duo sunt, 12. q. 1. illico adstrictus esset ad divinum officium recitandum. Quinimo cum in promovendis ad primam tonsuram Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. Hoc tantum exigat, ut fidei rudimenta edocuerint legere, & scribere, nec requiratur ut linguam latinam intelligant, prout requiritur in promovendis ad alios ordines in cap. 11. & 13. eiusdem sessionis, utque in necessariam consequentiam admittit, ut sic tonsurati non teneantur ad Horas Canonicas: quandoquidem qui linguam latinam non callent, nec rubricas intelligere, nec officium valent ordinare, cap. Sedulo, 38. dist. cap. fin. supra de etat. & qualis.

Et hanc partem scilicet clericos in minoribus non beneficiatos minime teneri ad horas dicendas post Petri, de Palude tenet Sylvest. in ver. Hora, n. 3. vers. Quiniam, dicens opinionem Abbatis nullo jure probari, & tantum eos teneri ad aliquid indeterminatum ex ipsa honestate iuris naturalis: & sequitur Tabien. in ver. Hora Canonica, §. 5. Haec tenus de clericis saecularibus. Clerici autem professi haec non sint in sacris, tamen tenentur ad Horas Canonicas ex receptissima omnia sententia, ut attestatur Sylvest. ubi supra, n. 3. vers. Sextum, idque optimis fundamentis probat Tabiena loco citato, §. 4. Subdens ex consuetudine, & ex regula ab Ecclesia confirmata Religiones omnes habere, ut illarum Clerici professi dicant Horas.

28 Hoc tamen fallit in Societate Jesu, quae hoc habet ex peculiari instituto, ut soli Clerici in sacris ordinibus constituti, quamvis beneficia ecclesiastica, aut eorum redditus non habeant, tenentur singuli privatim, ac particulariter, & non communitate ad dicendum officium secundum ecclesiae ritum, ut in Constitutione Pauli III. in cap. Regimini militantis ecclesiae, §. 12. in Bullar. tom. 1. pag. 654.

29 Ex facto quaeritur est, An Monachi S. Bernardi Observantia Hispaniarum Cisterciensis Ordinis, teneantur ex praepcepto ad recitationem officii B. Mariae Virginis, ac Defunctorum. Et si Monachi praedicti ab ipsius Congregationis fundatione quotidie recitare consueverint officium parvum B. Mariae, & diebus ferialibus officium Defunctorum, atque ad hoc lege, seu consuetudine obligati censentur sub gravi peccati reatu: nunc tamen nonnulli eiusdem Cong. Monachi contendunt se exemptos esse ab ea obligatione si in privatis precibus utantur Breviario monastico Benedictino iussu Pauli V. reformato, & edito, & nuntur hoc uno fundamento, quia idem Paulus V. in Constitutione approbationis d. Breviarii Monastici statuit, ut intra, videlicet,

30 [Ceterum ut praedicti religiosi ad Breviarium, & libros Choroales, ut praefertur, reformatos unanimiter recipiendos eo alacrius inducantur, quo spiritualibus etiam donis se magis referatos esse compererint, etiam providere volentes: omnibus, & singulis praedictis religiosi, ut Breviarium huiusmodi recitando, eadem privilegia, gratias, & indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur, quae fel. record. Pius V. recitantis Breviarium Romanum concessit, auctoritate, & tenore praedictis indulgemus.]

31 Inter cetera autem privilegia concessa recitantibus Breviarium Romanum dicti Monachi unum dicunt esse, ut ad recitationem officii parvi Beatae Mariae Virginis, & Defunctorum non teneantur. Quod dicitur probari ex infra scriptis verbis Constitutionis Pii V. videlicet (Quod vero in rubricis nostri huius officii praescribitur, quibus debet officium B. Mariae semper Virginis, & Defunctorum, item septem psalmos penitentiales, & graduales dici, ac psalmi oporteat; Nos propter varia huius vitae negotia multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea praescriptione removens duximus. (Quemadmodum ergo, dicunt ipsi, ex privilegio Pii V. recitantes Breviarium Romanum non tenentur ex praepcepto recitare officium B. Mariae, ita nec recitantes Breviarium Benedictinum, quibus a Paulo V. communicata sunt omnia privilegia concessa recitantis Breviarium Romanum; haec enim est natura adaequationis huiusmodi, ut l. 1. ff. de legat. 1. l. un. c. de rei uxat. act. c. Miramur, supra de serv. non ordina. c. Non solum, de regul. lib. 6. cum simul ut per Butr. conf. 19. Quia hic agitur de potestate, n. 3. vers. Item secundo.)

32 Ceterum universa Monachorum Congregationis praedictis paucissimis tantum exceptis, delentur antiquam obligationem in honorem Beatissimae Virginis. Quare cum supplicasset S. D. N. pro declaratione Sanctitatis Suae hanc controversiam ad Sacram Congregationem Concilii decidendam rejecti.

33 De obligatione recitandi officium parvum B. Mariae, ac Defunctorum Doctores multum torquebantur ante dictam Pij V. Constitutionem. Quidam enim circumscripta particulari consuetudine, arbitrabantur solas Horas Canonicas esse sub praepcepto, non autem officium B. Mariae, aut Defunctorum: quod originaliter voluit Gulielm. de Monte Laud. in Clement. 1. de celebr. Missar. quem ibi sequuntur Cardis Anchar. Imol. Item Joan. de Lign. in tract. de Horis Canon. quest. ult.

34 Quidam vero censuerunt, omnes qui tenentur ad Horas Canonicas, teneri ex praepcepto etiam ad officium B. Mariae: qui tamen dissentunt in origine obligationis: alii enim asserunt id sanctum fuisse olim peculiari decreto Concilii Claramontani sub Urbano II. Quod probat Nauart. in tract. de Horis Canon. & alii recentiores. Porro in vita Urbani II. quae habetur tom. 3. Concil. p. 2. pag. 480. col. 1. circa fin. sic legitur. (Hoc Pontifice Authore Horarum illa preces, quae vulgo B. M. Virg. & Dei Genitricis officium appellari consueverunt, non tantum ad clericos, sed etiam ad laicos pro auxilio contra Saracenos obtinenda recitari ceperunt.) Haec ibi; & plura haec de re habentur infra in notis ad Concilium Claramontani, pag. 420. col. 2. litt. B. vers. Ad quod, promerendum.

dum. Alii vero dicunt hanc obligationem fump-
tisse initium non ex iure scripto, sed ex consuetu-
dine, quae postea ubique inolevit, ita ut apud
omnes vim legis habeat; quam sententia ample-
ctitur Vitalin. in d. Clem. 1. num. 95. reprobat
Guilelmi opinionem, quam dicit multum detrahe-
re devotio B. Mariz, & suffragijs Mortuorum.
Idem sentit Abb. hic num. 6. subdens id esse in
præcepto ex radice antiquorum Patrum, & tra-
ditione ecclesiæ, licet scriptum non reperitur,
& sequitur Sylvest. in ver. Hora. n. 6. & Sot. lib. 10.
de inst. & iur. quasi. s. art. 4. ubi ait hanc consue-
tudinem recitandi officium B. Mariz ex pietate,
& devotione, qua Sanctissima Virgo dignissima
erat, adeo invaluisse, ut nullus doctorum aut San-
ctorum Patrum negare audeat vim habere præcepti.

Hanc alterationem videtur voluisse dirimere
Pius V. in d. Constitutione, Non quidem per mo-
dum concessionis alicuius privilegij recitantibus
officium Breviarij Romani, sed simpliciter & ab-
solute removere periculum peccati ab his, qui
illud non recitant iuxta rubricarum præscriptum.
Hæc autem remotio peccati, & obligationis
nullo modo videtur pertinere ad obligationem,
quam habent Monachi S. Bernardi. Primum quia
ipsi non tenentur solum in vim generalis consue-
tudinis, seu juris scripti, de quo erat prius con-
troversia an vim haberet præcepti, sed in vim par-
ticularis consuetudinis, & instituti sui ordinis,
quod initia sumplit a fundatione ipsiusmet Con-
greg. quam quidem specialem obligationem non
est verisimile, ut Sanctissimus ille Pontifex volu-
erit abrogare. Etenim de valore particularis con-
suetudinis olim nulla erat controversia inter Do-
ctores, sed omnes unanimiter in locis superius
citatis conveniebant in hoc ut recitatio officij ef-
set in præcepto, si ita se haberet Ecclesiæ, aut mo-
nasterij consuetudo. Atque ita loquitur Guil. in
d. Clem. 1. Quem ceteri sequuntur.

Præsertim quia mens Pij V. colligitur ex alia
parte ejusdem Constitutionis, ubi ejusmodi con-
suetudines præservat; his verbis: (Hoc autem
concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudi-
nis illarum Ecclesiarum, in quibus officium par-
vum B. Mariz semper Virginis in Choro dici
consueverat, ita ut in ipsis ecclesiis servetur ipsa
laudabilis, & sancta consuetudo celebrandi more
solito prædictum officium.

Sed & ratio illa Constitutionis, (Nos propter
hujus vitæ negotia multorum occupationibus in-
dulgentes, &c.) non videtur convenire monachis
Claustribus, qui a negotijs, & occupationibus
mundanis sunt prorsus segregati, & in solitudine
positi, facillime possunt orationibus, ac divinis
precibus vacare, cap. Placuit, & c. Si quis, 16. q. 1.

Generaliter autem licet Romanus Pontifex
constitutionem condendo posteriorem, priorè
quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare
noscatur, quia tamè locorum specialium, & per-
sonarum singularium consuetudines, & statuta
cum sint facti, & in facto consultant, potest pro-
babiliter ignorare ipsi, dum tamen sint ratio-
nabilia, per Constitutionem à se noviter editam,
nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in
aliquo derogare: hic est textus. ad litteram in c.
1. de Cons. lib. 6. per quem Archid. col. 3. in verb.
Expresse, & post eum gloss. fin. notat fuisse repro-
batam opinionem Hostij, qui in summa de convent.

§. Et de virtute, vers. Sed specialis, contrarium sen-
terat; & approbatam sententiam Innoc. in c. 1.
de rescript. Unde hanc conclusionem, id est per
novam Constitutionem non tolli specialium lo-
corum consuetudines, vel statuta, firmant in d. c.
1. Constit. lib. 6. Archid. Jo. Monach. Jo. Andr.
Gemin. & ceteri omnes, & in cap. Nonnulli de
rescript. Nisi Princeps hoc intendat. Sed in du-
bio non videtur hoc velle: & ita procedit text. in
l. 1. §. Divus, ff. de sepulch. viol. ut ibi declarat gl.
quam communiter tenemus, ut Bart. dicit, &
Petr. de Anchar. in d. cap. 1. num. 10. vers. Unde
cimo oppono.

Sed quatenus etiam usus Breviarij Romani
omnes liberaisset ab obligatione officij B. Mariz,
non tamen essent liberati utentes Breviario Be-
nedictino; nam est utentibus hoc Breviario Pau-
lus V. concesserit omnia privilegia, gratias, & in-
dulgentias concessas recitantibus Breviarij Ro-
manum; tamen hæc verba non videntur impor-
tare liberationem ab officio B. Mariz. Neque
huic liberationi conveniunt, quin potius repug-
nant illa verba Constitutionis Pauli V. quo spiri-
tualibus etiam donis magis refertos esse compe-
rerint.

De Celebratione Missarum.

Cap. Quidam.

S V M M A R I V M.

- 1 **M**issa de feria propter Missam specialem di-
mittenda non est.
Declaratur, num. seqq.
- 2 **M**issam peculiarem in diebus festis
an iustus faciat præcepto Ecclesiæ. & num. seqq. usque
ad num. 7.
- 3 **M**issas peculiares seu votivas an, & qualiter quis probi-
heatur audire diebus festis.
- 4 **S**uperstitiones aliquot referuntur audientium Evange-
lij. In principio erat Verbum, vel Missas peculiares.
- 5 **S**acrificium altaris soli Deo offerendum est, qui solus ad-
orandus est latría.
- 6 **S**ancti orationes non exaudiunt, sed apud Deum pro no-
bis interpellant.
- 7 **M**issa votiva ex Missa Romano dici possunt pro arbi-
trio Sacerdotum quocumque die officium non est du-
plex, aut Dominica, id est amen passim fieri non debet.
- 8 **M**issa pro defunctis potest dici peculiari.
- 9 **M**issa votiva pro sponsis, & sponsa non dicitur in Domi-
nicis, & festis diebus, ibidem vers. Cavendum.
- 10 **M**issam de uno Sancto quoties celebrare non licet.
- 11 **M**issa etiam de officio currenti dicenda est pro salute vi-
vorum, & defunctorum, & n. 34.
- 12 **M**issam celebrans de Sancta Maria dicitur celebrare
pro defunctis, & è converso.
- 13 **M**issa defunctorum an sit dicenda ad consequendam in-
dulgentiam altari privilegiato concessam; an vero
sufficiat aliam Missam dicere, & num. seqq. usque
in fin.
- 14 **P**rivilegijs tenor inspicendum est ad dignoscendum an pro
liberatione animæ à Purgatorio requiratur Missa de
Requiem.

In.

- 15 **I**ndulgentias anime defunctorum non conse-
quuntur à Sacerdote celebrante, sed à Pontifice
concedente per modum suffragij.
- 16 **I**ndulgentia non acquiritur nisi conditio sub
qua conceditur, adimpleatur.
- 17 **M**ens Papæ secundum Canones interpretanda est.
- 18 **M**ens pro defuncto an idem importet quod
Missa de Requiem, & n. 23. 30. & 34.
- 19 **M**issa de Requiem cum ab ecclesia instituta.
- 20 **M**issa de Requiem magis suffragatur animæ
defunctorum quam Missa de festo, vel de feria.
Declaratur, n. 31. & seqq.
- 21 **M**issarum suffragia mortuis tripliciter appli-
cari possunt.
- 22 **M**edium censetur electum, quod rei gerenda
magis est idoneum.
- 24 **A**ltare privilegium conceditur ipsi ecclesiæ.
- 25 **M**ortui solvantur à panis Purgatorii ad in-
star liberatis per debiti solutionem, si ex bo-
nis liberandi, si ex alterius.
- 26 **I**ndulgentiarum materia est favorabilis.
- 27 **I**ndulgentia pro defunctis non est privilegium,
sed beneficium nulli noxium, & late interpre-
tandum.
- 28 **I**ndulgentie tantum valent quantum sonant.
- 29 **E**lectio in dubio est debitoris.
- 32 **M**issa ex parte sacrificij æque prodest mortuis
de quocumque dicatur. Et quid ex parte oras-
tionum.
- 33 **L**ibertas si detur servienti per annum, acqui-
ritur in bissexto serviat per dies 265.
- 25 **M**iraculum Paschalis celebrantis in Capella
Columbentis Ecclesiam Sanctæ Praxedis.

QUIDAM. Propter Missam specialem
Missæ de feria dimittenda non est. Hoc
dicit secundum Io. And. cui ceteri cõ-
sentiant. Dividitur in duas partes. In
prima ponitur excessus. In secunda provisio, ibi, *idee*.
Nota primum quod dictum est in sumario, vi-
delicet propter Missam peculiarem, seu votivam
non esse dimitteendam Missam de feria, seu de of-
ficio occurrente. Non enim transgrediendi sunt
termini, quos posterunt Patres nostri, cap. 1. de
sepulch. Quod nonnulli opinantur usque adeo ve-
rum esse, ut audientes Missam peculiarem in die-
bus festis, vel illam celebrantes non satisfaciant
præcepto ecclesiæ de Missa audienda; quia Missa,
quæ præcipitur, est Missa de festo, vel quæ secundum
officium debet dici, ita Angel. in ver. Missa, n. 33. &
in ver. Feria, n. 4. licet subdat audientes propter
ignorantiam excusari, sed non celebrantes, arg. c.
Etiam hoc attendendum, de Alexan. dist. 1. Allegantur
etiam pro hac sententia Alexan. de Ales in summa
lib. 2. & Astensis lib. 4. tit. 16. qu. 2. Contrarium fir-
mat S. Antonin. in 2. par. tit. 9. c. 10. §. 1. vers. Quar-
tum dubium quia textus in c. Missas, hoc non dicit,
sed indistinctè loquitur; id eoque non tenetur quis
audire Missam propriam ex necessitate, sed tantum-
modo ex congruitate, & secundum hanc congru-
entiam, ut ipse ait, loquitur hoc capitulum. Neque
enim muliercule, & idiote scire possunt an Missa sit
propria, & oportere hoc semper feliciter nimis el-
let laboriosum, & sequuntur Rosella in ver. Missa, §.
Prosp. Fagn. in 2. par. 5. lib. Decretal.

14. Sylvest. Missa, 2. §. 4. Tabiena in eodem ver. nu.
48. Sot. in 4. dist. 33. q. 2. art. 1. vers. Quod autem. Et
Navarr. cons. 9. incipien. Ex consilijs, nu. 7. de celebr.
Missar. Quod & mihi videtur verum & ad hoc cap.
respondeo hic non improbare consuetudinem di-
mittendi Missam de officio currente propter Missam
peculialem; Sed tantummodo reprehendi super-
stitioniam Religionem illorum, qui Missam de sancta
Trinitate, vel de sancto Michaeli pro nullo f. isto
præstabant, quasi non viderentur audire Missam,
nisi illas audirent, secundum Hostij. in ver. Per singu-
los dies, & Cardin. n. 1. in eodem ver. vel quæ credebant
in illa die, in qua audiebant Evangelium, In princi-
pio erat Verbum, aut Missas memoratas, se sine pen-
nitentia non posse decedere, quam in perditionem
habent vetule, ut dicit Abb. Antiquus in ver. Au-
diant, Ioan. Andr. & Cardin. ambo in ver. Evange-
lij, & Abb. Siculus in 1. not. & propterea textus
admittit, ut quis audire possit Missam specialem,
seu votivam, dummodo id faciat propter reveren-
tiam S. Trinitatis, & non pro alia devotione, quasi
dicat licitum est dimittere Missam de die, & audire
Missas votivas, dummodo id non fiat propter ali-
quam specialitatem, quasi illæ meliores sint talis
secundum gloss. fin. & Hostien. num. 1. puta quia
magis profuit ad uberiores segetes impetrandas,
vel quid simile, ut explicat Innoc. in ver. Pro alia,
Hostien. n. 5. in ver. Non pro alia, Io. Andr. num. 2. in
ver. Devotione, & Cardin. in 1. quæst. Unde Abb.
cons. 99. Videtur i. num. 3. vers. Idem probare videtur,
lib. 2. disertis verbis asserit hoc capitulum si bene
ponderetur, non prohibere simpliciter Missas pecu-
liares, imò permittere, dummodo fiat ex bona de-
votione, & non est superstitione, ut quidam scie-
bant credentes propter illas habere meliores segetes.
Vel dicas hic improbari illorum abusum, qui
tantam devotionem figebant in sanctum, cuius
Missam audiebant, ut crederent illum posse ipso-
rum præces exaudire magis, quam si audirent Missam
ob reverentiam Dei. Sicut refert hic Hostien. de aliquibus,
qui credebant, se magis gerere per
Dominam nostram, quam per Deum, & nuper
mihi renunciatum est de quadam vetule, quæ cum
audivisset puerperam commendantem Deo par-
vulum tunc natum, Filolam, inquit, non Deo,
sed potius S. Carolo. Porro ut inquit I. Innoc.
etiam Missa de S. Michaeli dicenda est in honorem
SS. Trinitatis, quoniam soli Deo sacrificium altar-
is offerendum est, qui se hostiam obtulit pro nobis.
Ipse enim solus adorandus est latría, qui solus
potest per se orationes exaudire. Sancti autem
pud Deum pro nobis interpellant. Ita Innoc.
quem totidem verbis sequuntur Hostien. Io. Andr.
& reliqui omnes. Ad hoc Concilium Trident. sess.
25. de invocatione, veneratione, &c. Et vide quod no-
tatur per Io. Andr. in Clem. unica in gloss. magna in
4. membro, de reliq. & venerat Sanctorum.

Conclude igitur neminem obligari in diebus
festis ad audiendam Missam propriam illius dici,
seu de officio currenti, sed satisfacere præcepto
Ecclesiæ audiendo quamlibet Missam peculiarem,
seu votivam. Respectu celebrantis maior est diffi-
cultas, nam, ut inquit S. Antonin. loco præallega-
to, reprehensibile utique multum videtur, est
non damnabile, dimittere proprias occurrentes
propter Missas defunctorum, vel alias ad instan-
tiam laicorum sine causa multum urgenti. Do-
cendum est enim populus, non sequendum, c. Do-
cendum est enim populus, non sequendum, c. Do-

C c

cen-

condus, 22. dist. quoniam est mortale secundum aliquos, quos sepresso nomine refert Sylvest. in ver. Missa, 2. §. 4. Sed & Angel. ubi sup. dicit Missam esse celebrandum de eo, de quo officium fit, adeo ut Missam peculiarem dicens, id est specialem de aliquo Sancto, non satisfaciat precepto de audienda Missa; & quamvis audientes ex ignorantia excusentur, non tamen celebrantes, arg. c. Et hoc attendendum, de consecr. dist. 3. Hæc ex illo. Sed certè de jure communi hoc non videtur esse in precepto, quia hæc decretalis, in qua sola fundari potest obligatio celebrandi Missam de officio currente, & alium habet sensum, ut superius explicatum est ad num. 3. ac præterea non loquitur de celebrantibus, sed de audientibus. Unde si quam obligationem induceret, utique illam induceret respectu audientium, quos tamen constat ad id non obligari, ut habet generalis consuetudo c. Ite Navar. d. conf. 9. num. 7. de celebrat. Missar. Unde melius Syll. in ver. Missa. 1. §. 4. affirmat prædicta esse intelligenda ad bene esse, non de necessitate, quia nec Abbas hic dicit non satisfieri precepto, nec Clem. 1. de celebr. Missar. dicit aliquid de præceptis. Id ipsum tenent Rosella in ver. Missa, §. 14. Tabienas in eod. ver. nu. 48. & Navar. in Manual. Hispano c. 27. n. 7.

Non obstat d. cap. Et hoc attendendum, de consecr. dist. 1. ubi patet Sacerdotes, & populum in diebus solemnibus debere in unum convenire ad publicam Missam audiendam; nam & ille textus potest intelligi de congruo, & nihilominus illi derogatum est ubique ex contraria consuetudine, & præsertim in Urbe, ut N. varr. refertur in præleg. conf. 9. num. 7. de celebr. Missar.

Cæterum opinio Angeli videtur hodie approbata in novo Missali Romano in Rubrica de Missis votivis S. Mariae, & alibi, §. 5. ubi sic legitur. (Missæ omnes votivæ in Missis privatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum quounque die officium non est duplex, aut dominica cum commemoratione ejus, de quo factum est officium, & commemorationem item sibi simpliciter, si de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem, id verò passim non fiat, nisi rationabili de causa, & quoad fieri potest Missa cum officio conveniat.) Hæc ibi, Et consuetudinalia rubrica de Missis defunctorum, §. 2. in fin. ubi cavetur ut Missæ privatae pro defunctis quocunque die dici possint præter quam in festis duplicibus, & Dominicis diebus: nam & Missa pro defunctis dicitur peculiaris secundum Archid. in cap. Visum, de consecr. dist. 1. & Abb. conf. 99. Videtur primò num. 1. lib. 2. Unde quidquid dicant alii hodie constat nulli Sacerdotum licere in Dominicis diebus, & festis duplicibus maxime de precepto celebrare Missam peculiarem, seu votivam, vel de Requiem, Rubricæ enim Missalis sunt in precepto, ut scriptum est in cap. Cum creatura, num. 29. infra eod. Facto tamen in illis casibus, in quibus Missa pro defunctis dici potest in festis duplicibus, puta in Anniversario pro defunctis, vel in die depositionis defuncti, ut dixi in prædicta Decretali Cum creatura, num. 27. & 26. tunc Sacerdotes eam celebrantes satisfacere precepto ecclesiæ, de Missa audienda in diebus festivis, cum id faciant lege permissente, cap. Qui peccat, 23. q. 4. & l. Gracibus, ff. ad l. jul. de adulter. cavendum est tamen à modernis Collectoribus hic, dum ex Julio LAVORIO de Indulgent. par. 2. cap. 30. num. 105. affirmant in die-

bus festis posse celebrari Missas votivas ex urgente causa, veluti pro benedictione nuptiarum, & similibus, hoc enim est contra rubricam Missalis, quæ ponitur ante Missam pro sponso, & sponsa, ubi cavetur, ut si benedictio nuptiarum faciendæ sit die dominica, vel alio die festo dicatur Missa de dominica, vel festo cum commemoratione sequentis Missæ pro sponso, & sponsa, & reliquis, quæ pro communione, & complemento benedictionis in ea habentur.

Secundò nota, ibi, per singulos dies, non esse licitum quotidie celebrare Missam de uno sancto, ut hic notat Butr. in 1. notab. & Abb. d. conf. 99. num. 4. lib. 2. Quod adeo verum est ut nec pacto, vel statuto adstringi possit præsertim ad celebrandum singulis diebus de uno sancto, ut est textus in cap. Significatum, & ibi dixi in 3. not. supra de præben. & notat Abbas in prælegat. conf. 99. n. 1. vers. Secundo, & num. 4. vers. Ex his patet. Nec obstat textus in cap. Et hoc attendendum, de consecr. dist. 1. quatecundum Abbatem d. n. 4. non prohibet, quin potius permittit Missas peculiare privatas, dummodo per eas populus à Missa solemni non abstrahatur. Contrarium sumat Navar. d. conf. 9. num. 7. de celebr. Missar. ubi asserit licere in diebus quamvis solemnibus dicere Missas peculiare de vivis, ut videmus in tota Christiana Ecclesia servari, & num. 8. responderet ad textum in d. cap. Significatum. Sed quidquid dicat, prima opinio approbatur in Missali Romano, ubi patet Missas peculiare, seu votivas tam de vivis, quam de mortuis non esse celebrandas in festis duplicibus, & Dominicis diebus, ut dixi in præced. notab. num. 2. & consequenter non licet Sacerdoti celebrare quotidie de uno Sancto.

Tertiò nota ex fine textus Missam de officio currente dicendam esse non tantum pro salute vivorum, sed & defunctorum, ut hic, & in c. Visum de consecr. dist. 1. quasi celebrando pro vivis celebraretur etiam pro mortuis, secundum Jo. Andr. n. 3. in ver. Defunctorum, & Cardinal. num. in eod. ver. Unde, ut dicit Hugo de S. Theoderio, Cardinalis ipse celebrando de Domina nostra sciebat se celebrare pro defunctis, & celebrando pro defunctis sciebat se celebrare de Domina nostra. Cujus dictum refert Hofst. in fin. & secundum eum satis comprobatur hic, & in cap. Si quotiescumque de consecr. dist. 2. Id autem perficitur ab universa ecclesia per preces in secundo Memento, ut innuit textus in d. cap. Visum, in illis verbis, loco competentis, quæ exponuntur à glossa, id est in secreta Missæ, & ab Archid. & Turrecrem. in secundo memento, in quo dicitur, *ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, &c.* & cens. Sac. Congregatio Concilii in terminis cap. 4. sess. 25. ut dixi in cap. Cum creatura, n. 19. infra eod.

QUERO, an ad consequendam indulgentiam à Summo Pontifice altaribus privilegijs concessam necesse sit in eissimilibus defunctorum celebrare; an verò sufficiat illam Missam dicere, cum alioquin in diebus festivis, in quibus juxta novum Missale non potest celebrari Missa defunctorum, non suffragatur hæc indulgentia animabus Purgatorii.

Præmittendum primo, verba privilegii, cujus occasione dubitatur, questioni debuissent inferri, ut eisdem inspectis posset congruum dari responsum, prout jubetur licet in cap. Parò de privileg. & est ex me-

mente D. Thom. in 2. dist. 45. qu. 2. art. 3. q. 2. Videtur privilegia diversis concepta verbis, & ut auctori, privilegium concessum in eccl. s. S. Petri ad altare S. Andreae videtur restrictum ad celebrandum de Requiem. Secundò præmittendum, posse supponi hoc privilegium fuisse conceptum sub verbis, quibus ut plurimum hæc privilegia concedi consueverunt, quæ solent esse infra scripta, videlicet. (Concedimus ut quoties Missa ad prædictum altare celebrabitur pro anima cujuscunque fidelis, qui deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiæ indulgentiam contineatur.)

Tertiò præmittendum, celebrantem non dare, nec acquirere dictæ animæ indulgentiam, sed Pontificem ipsum illi animæ, pro qua præstabitur hoc requiritum opus, indulgentiam per modum suffragari concedere, ut denotant verba præmissa, & notant sepe Doctores, ut Palud. in 4. dist. 20. quest. 4. art. 3. conclus. 6. Cordub. de Indulgent. quest. 26. Nam cum concessio indulgentiæ quantum attinet ad presentem questionem sit actus superioritatis, quam quis habet dispensandi thesauro Ecclesiæ, quæ residet taxata in Episcopis & plenè in summo Pontifice, secundum D. Thom. in 4. dist. 20. quest. 1. art. 4. quest. 3. Qui celebrat de Ecclesia communibus bonis solvit pro defuncto opus, ac veluti pretium à Pontifice requiritum, quo soluto Pontifex indulgentiam largitur, seu concedit, & hoc per modum suffragii.

Quartò, præmittendum ex Paludano d. artic. 3. conclus. 2. & Cordub. quest. 33. post D. Thom. in addit. ad 3. part. qu. 27. art. 3. & in 4. dist. 20. qu. 1. art. 5. q. 3. Indulgentiam non obtinet nisi adimpleatur conditio, sub qua indulgentia conceditur, addunt dicti Palud. & Cardub. non sufficere partem requiritum adimplere, sed totum adimplendum esse, Navar. in Missali deorat. num. 118. & de Jubil. notab. 32. num. 49. Facit cap. Si pro te ubi gloss. in de rescript. lib. 6.

Ex prædictis inferitur dubitationis resolutionem pendere ex intentione Pontificis concedentis, secundum quam pronuntietur, ut hic, & in c. Visum de consecr. dist. 1. anima ipsa liberabitur, vel non, arg. l. Cum heres, §. 1. ff. de stat. q. 3. ad 2. Et igitur inquirendum quemnam fuerit, vel sit ipsius mens, cap. Cum venissent, ubi Felin. late de judic. Quæquidem mens declaratio fieri poterit etiam à Pontifice successore, ut per Oldr. conf. 237. Falsum tale est, num. 2. vers. Hæc autem interpretatio Domini Nicolai, & Riminald. jun. conf. 421. num. 67. & 68. Nam et si patet ista interpretandi coherere personæ, & in alium non transeat secundum Innoc. in cap. fin. de success. ab intestat. & Felin. in d. cap. Cum venissent, num. 2. de judic. tamen necesse est idem censeri cum prædecessore, & una est dignitas, ut inquit Oldrad. loc. cit. Quod si hoc non posset coram ab ipso obtineri, tunc quemnam fuerit ejus mens conjecturis esse indagandum, l. In conditionibus, ff. de condi. & demo. Et quidem in casu proposito requiritur Missam de Requiem, ex infra scriptis videtur elici posse.

Primo, verba dubia à summo Pontifice probata secundum Canones sunt interpretanda, cap. Ecclesia vestra, illecondo, de elect. Calder. conf. 187. alias 2. de presump. Felin. in cap. Cautam, n. 6. vers. Quarta declaratis, de rescriptis. Sed hæc, vel similia verba, Celebratur Missa pro defunctis, in sacris Canonibus intelliguntur de Missa de Requiem, c. Sisso, de consecr. dist. 1. ibi, Quid in tamen pro defuncto unam Missam faciunt, & alteram de die: ubi illa verba, Missam pro defuncto, idem important quod Missa de Requiem. Idem colligitur ex cap. Certum, juncta gloss. 3. & gloss. final. eadem dist. & ex cap. Cum creatura, & ibi gloss. eod. tit. infra eod.

Secundò suffragatur textus in c. Quicunque, 26. q. ubi habetur, Missam de Requiem institutam specialiter ab ecclesia in subsidium, & suffragium animarum defunctorum, cui si addatur regula communis, de quatin. Plenum, §. Equitiss. de usu, & habit. quæ habet verba intelligenda esse tantum propriam conditionem illius, de quo agitur sequitur ut in materia nostra, quæ emanavit ad utilitatem defunctorum, velut Missa, intelligitur de illa, quæ peculiariter pro eorumdem suffragio fuit ab Ecclesia ipsa instituta.

Tertiò, certum est, Missam de Requiem ad hoc præcipue institutam fuisse, ut sic suffragetur penæ debite ab his, qui in Purgatorio existunt, c. Quicumque Sacerdotum, 26. q. 1. Eam, quæ plus defunctis suffragaturam ex D. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. ad 5. quam Missam de Sancto, seu de festo, vel de Requiem quod etiam probat Navar. conf. de celebr. Missar. ubi num. 1. sic ait. (Quamvis triplex sit modus, applicandi mortuis Missarum suffragia, scilicet per intentionem, per memoriam, quæ fit in decima parte Canonis Missæ, quæ incipit Memento etiam, & per Collectas expressas in ipsa Missa, ut colligitur ex c. Cum grava, cap. Non estimemus, & c. Anima, 23. q. 2. & aliis multis, ad juncto cap. Visum, de consecr. dist. 1. Nihilominus in hoc, & melior est per totam ipsam Missam pro defunctis, & infra num. 5. Missa, inquit, pro defunctis cæteris paribus magis prodest defuncto, quam Missa de Sancto, vel feria. Ergo etiam collecta Missæ de defunctis magis prodest, quam collecta Missæ de vivis, arg. l. Quæ de vita, ff. de rei vendic. & cap. Pastoralis, §. Item sitotum, ff. de offic. Delegat.) Hæc Navar. Et successe videtur quæ intendem esse magis proportionatam, si ceteris, qui intenditur, qui est liberatio animæ à cetero Purgatorii, arguitur tunc sic. In dubio illud mediàm videatur electum, quod rei gerendæ magis idoneum est, argum. l. Quoties, ff. de reg. jur. Item, quæ aliud, per quod plenus est, cui bene fecere volumus, provideretur, argum. l. 3. ff. de milit. testam. cap. Super hoc, de renunciat. Sed hujusmodi est Missa de Requiem. Ergo ipsa à Pontifice plus quam alie intenta, & requiritur videtur.

Quartò adducitur Abb. conf. 99. incipiens. Videtur primò, vel 2. Qui in casu legati facti per hæc verba, Quod omnidie post mortem ejus pro anima ipsius testatoris in perpetuum celebrari debent triginta Missæ mortuorum per triginta Presbyteros, Concludit Missas debere dici de Requiem, quia talis præsumitur mens testatoris ex illis verbis ibi, Pro anima ipsius testatoris; & ibi, Missæ mortuorum; ex quibus verbis colligi potest penes Abbatem idem importare Missam pro anima defuncti, quod Missæ mortuorum; qui Abb. subdit, Missam de Requiem saltem privatam posse dici omni die, etiam si sit dies festus. Ex quibus respondetur ad argumentum, quod pro contraria parte adducitur. Sed his non obstantibus verior videtur contraria opinio; & ante omnia observandum est hoc privilegium respicere quidem, atque intendere